INSTITVTIONVM DIALECTICARVM LIbri Quatuor,

A

IOANNE SANDERSONO, Lancastrensi, Anglo, Liberalium artium Magistro, & sacræ Theologiæ *Doctore, Metropolitanæ Ecclesiæ Cameracensis Canonico, conscripti.*

Editio tertia.





OXONIÆ,

Excudebat Iosephus Barnesius.

1602.

AVCTORIS PRÆFATIO

AD IVVENTVTEM BONARVM ARTIVM STVDIOSAM.



ON necesse habeo, studiosam Iuventutem longa aliqua oratione detinere, qua eorum animos ad ea studia incendere, ac inflammare queam; quibus ea ars comparatur, quæ vna continet omnem, & perspiciendi, quid in quaq; re sit, scientiam & iudicandi, quale quicq; sit: ac ratioñe & viã disputandi Nam cùm ipsi sua sponte ac voluntate satis propensi & incitati esse debent: tum scientia ipsa tanta ac talis est: vt vel invitos, nisi ab omni bonarum artium studio prorsus alieni & abhorrentes sint, facilè ad se allicere atq; attrahere possit. *Dialectice* etenim Græco verbo, quę Latinè disserendi ratio & scientia a doctis appellari solet, ministra illa, & comes sapientiæ, (quam qui cum Epicuro contemnere & irridere velint, cum nulla scientia absque ea fines suos tueri atque defendere possit, nescio sanè quid sit, quod laudandum putabunt) docet, vnde argumenta erui possint, quibus vera confirmanda & stabilienda, falsa refellenda ac refutanda sunt: rem vniversam tribuere in partes: latentem explicare definiendo: obscuram explanare interpretando ambiguam primùm videre, deinde distinguere, postremò habere regulam qua vera & falsa iudicentur: & quæ quibus propositis sint quæque non sint consequentia. Ex quo meritò, atq; optimo quidem iure, veri & falsi quasi disceptatrix, & iudex nominatur. Quid autem vtilius, quid præclarius, quid denique potius atque optatius dici aut excogitari queat: quam ita nos instructos atq; armatos in solem & pulverem procedere: cum adversariis in certamen & arenam descendere: ad manus cum hostibus conserendas accedere: vt nulli inter disputandum rei falsò assentiamur nevè vnquam captiosa probabilitate fallamur? Hoc autem nobis præstat Dialectica: sine cuius ope atque præsidio quemvis à vero facilè abduci, falliq; posse arbitramur. *Ipsa* namque *disciplina disciplinarum* (vt divinus vir Augustinus scribit) *quam Dialecticam vocant, docet docere, docet discere. In hac se ratio demonstrat atq; aperit quæ sit, quid velit, quid valeat. Scit scire: sola scientes facere,*

Dialecticæ encomion.

Cicero in Bruto.

D. Aug. tom. 1. de ordine lib. 2. cap. 13.

cere,

cere non solùm vult, sed etiam potest. Et cùm summa ex ea vtilitas existat ad res prudenter ponderandas: quippe quæ reliquis omnibus artibus & scientijs maximam quasi lucem adferat: tum verò maximè ingenua delectatio, & digna sapientia. Ex tanta enim tamq; efflorescente & redundante rerum, quæ tractantur, sylva ac varietate, necesse est animum mirifica planè, & suavissima quadam voluptate perfundi ac iucunditate. adeò vt, licet *huius disciplinæ studium atq; cognitio* (vt quidam ait) *in principijs quidem tetra & aspernabilis, insuavisq; esse, & incivilis videri soleat: tamē vbi aliquantùm processeris, tum deniq; & emolumentum eius in animo tuo dilucebit, & sequetur quædam discendi voluptas insaciabilis: Cui sanè si modum non feceris, periculum non mediocre erit; ne, vt plerique alij, tu quoq; in illis Dialecticæ gyris atque meandris tanquam ad Sirenios scopulos consenescas*. Quam ego artem tam excellentem, tam vtilem, tam necessariam: vt post innumeros alios denuò limarem ac perpolirem: singulari planè erga vos, quibus putavi laborem suscipiendum vtilem, studio adductus sum. Nam cùm diu multumque in hoc literarum genere versatus, animadvertissem rudimenta Dialectica in Gymnasijs legi ac doceri solita, vel ob prolixitatem, tædium. vel confusionem, fastidium: vel obscuritatem, satietatem discentibus parere: multorumq; hinc obtundi magis quàm acui ingenia: denique aut eam artis perfectionē quam requirunt, non habere: aut dictionis nitore carere, quo delectari solent: (Nam *res* quidem *Philosophicas ornatè dicere velle, puerile est: Planè autem & perspicuè expedire, docti & intelligentis viri:*) ac propterea rei Dialecticæ Doctores (vt multis comperimus in locis) quod volumus, conatos: sua quemque auditoribus propinare: qua in re cùm & docentibus laboris plurimum, & discentibus vtilitatis inesse parum, facilè quisque iuxta mecum intelligat: operæprecium existimavi, si in tanta arte excolenda vtrisque consulerem. Quod vt efficerem, navavi equidem sedulò operam: quantùm autem profecerim, aliorum erit iudicium. Nec cupiditate certé commodi, nec honoris studio: sed vestre, charissimi adolescentes, vtilitatis gratia: quorum omnino causa meum in hoc opere nervos suos omnes contendit ingenium. Satis mihi de labore meo abundè factum arbitratus, si hoc apud vos serendo beneficium, grati vestri erga me animi metere queam fructum. Vos me vicissim igitur mercedis loco, pari, ac ego vos, animo, studio, ac voluntate prosequimini. Valete.

Aul. Gel. lib. 16. cap. 8.


Suscepti consilij ratio.

Cicero de fin. lib. 3.

PROLEGOMENA.

NVNC igitur à capite institutum arcessendo, ab ipsa Philosophia, cuius hic partem suscepimus explicandam: Primùm quidem eam, vt solent, quodammodo finiendo: Deinde verò eandem in partes suas tribuendo: Tum autem, easdem etiam partes quoquo modo poterimus describendo, exordiemur.

Philosophia (quæ à sapientiæ studio & amore, Græco verbo nomen invenit) est divinarum humanarumq; rerum cognitio.



Atq; artis quidem mechanicæ septem species numerari solent: quas hoc disticho notantur.

Lana, nemus, miles, res nautica, rus, medicina:
Queis ars fabrilis connumeranda venit.

Philosophia rationalis. Rationalis philosophia, quæ λογικὴ à Græcis appellatur, est verborum & orationis cognitio.

Grāmatica. Grammatica, est rectè scribendi atque loquendi scientia.

Dialectica. Dialectica posteà finitur.

Rhetorica. Rhetorica, est scientia, qua is, qui ea præditus est, de omnibus rebus possit variè copiosèque dicere.

Philosophia naturalis. Naturalis philosophia, quæ φυσικὴ dicitur, est rerum naturalium, & accidentium, quæ in natura insita atque ingenita sunt, cognitio.

Arithmetica. Arithmetica, est scientia, quæ in numeris addendis, subducendis, multiplicandis, dividendis; ac quovis demùm modo vtendis, versatur.

Musica. Musica, est scientia, quæ in nervorum vocumque, ac sonorū denique intervallis, concentu, harmonia cernitur.

Geometria. Geometria, est scientia magnitudinis & figuræ, quam secundùm magnitudinem contemplatur.

Astronomia. Astronomia, est contemplatio superiorum corporum eorū magnitudines, motúsque considerans.

Philosophia moralis. Moralis philosophia, quæ ἠθικὴ communiter & generatim accepta, nominatur, est vitæ morumque recta institutio: vel, Bene agendi disciplina.

Ethice. Ethice speciatim & propriè dicta, ea pars est moralis philosophiæ, quæ ad benè viuendi rationem instituit.

Politice. Politice verò, quæ ad eam, quam sibi proposuerunt ij qui in reipublicæ luce versantur.

Oeconomice. Oeconomice autem, quæ ad eam, quam sibi quisque privatim in tuenda re familiari domi cum vxore ac liberis constituit.

Monastice. Monastice denique, quæ ad eam, quam sibi quisque in solitudine vitam agenti delegit.

Mechanica. Effectiva postremò, quæ μηχανικὴ, sive ποιητικὴ Græcè vocatur, est ars rectè faciendi quod ingenuum decet: vel, tractandi ea quæ ingenio simul & manu fiunt.

Actio. Actio, propriè est operatio immanens in subiecto, à quo dimanat.

Effectio. Effectio, est operatio transiens in opus externum.

NOTATIO.

Litterularum notæ in contextu appositæ, indicant quibus locis in Commentario ea, quibus sunt adiecta, magis illustrantur.

INSTITVTIONVM DIALECTICARVM LIBER PRIMVS.

CAP. I.

De Dialectica, eiusq; partibus, materia, munere, instrumento, fine.

Dialectica, [a] *est* [b] *scientia, de quaque re* [c] *proposita, probabiliter, &* [d] *anguste disserendi.* Dialectice quid

Duas habet partes. { *Vnam inveniendi, quam Græci* τοπικὴν, *sive* εὑρετικὴν *appellant.* / *Alteram iudicandi, quam* ἀναλυτικὴν, *sive* κριτικὴν *vocant.* } Dialectice partes

Pars inveniendi, ex certis, quos tradit, locis investigare docet ea quæ ad quamque rem propositam seu confirmandam, seu refellendam conferũt. Pars inveniendi

Judicandi verò, inventa perpendit, ac colligit, atque disponit: atque ad usum, & id, quod volumus, probè efficiendum accõmodat: id est, voces simplices primùm explorat: ex quibus perspectis & cognitis, propositiones conflandi viam ac rationem docet; demùm ex enunciationibus, argumentationes conficiendi formas & præceptiones tradit: quibus quid verum, falsum vè sit, quid consentiens, quid repugnans, iudicari possit. Pars iudicandi

Materia, quam tractat, & in qua, vti ad disputandum proposita, versatur Dialectica: est [e] *Quæstio probabilis.* Dialecticæ materia

Munus eius præcipuum est, [f] *Definire,* [g] *Dividere, &* [h] *Ratiocinari.* Munus

Instrumentum, quo vtitur in suo pertractando negotio, est Argumentatio. Instrumentum

Finis verò, cuius gratia ars ipsa inventa est, vera à falsis discernere: eorumq; fidem oratione facere, ac derogare. Finis

In [i] *priore autem huius nostræ Dialecticæ tractationis parte, quæ ad Judicium pertinet, tria sunt præcipua capita:* [k] *vox simplex,* [l] *Propositio seu Enuntiatio, &* [m] *Argumẽtatio, totidẽ à nobis libris, suo* [n] *quicq; loco, pertractanda.* Distributio partis iudicandi

Commentarij ad Caput primum.

Dialectice, ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, id est, à disserendo dicta, omnibus scientijs apprimè vtilis est summèque necessaria: & quia reliquarum artium omnium quasi instrumentum est, primo secundùm Grammaticam loco addiscenda. Dialectice vnde dicta

Vtilis est ad quatuor. { Obscura explananda. / Ambigua distinguenda. / Probanda dubia. / Confusa & inordinata disponenda. } Vtilitas Dialecticæ

b. *Scientiam* malui loco generi in definitione Dialectices, quàm artem ponere. Quanquam enim scientia & ars, si ad communem ser- Scientia quamobrem

Potius quam ars posita loco generis in definitione Dialecticæ.

Artis & scientię discrimen.

sermonem orationem accommodemus, pro eodem trita & visitata sunt: tamen cum veritas ipsa subtiliter & accuratè limatur in disputatione, multum inter se discrepant. Quippe cum scientia sit habitus conclusionum, quæ demonstratione docentur, eæque certæ omnino & exploratæ esse debeant, nec secus evenire queant: ars vero in ijs quæ aliter se habere possint, tota versetur: atque hæc in faciendo proprie posita sit: illa autem in cognoscendo & contemplando præcipue cernatur. c. Neque vero Dialecticam cuiusque rei scientiam dicimus; sed, de quaque re proposita disserendi. Nam licet ea quæ sub scientiam cadant, & de quibus scientia habeatur, sint necessaria & sempiterna omnia: tractat tamen contingentia, caduca, probabilia, denique omnia, prout cuiusque natura ac ratio postulat: tradit enim modum & rationem de omnibus rebus disputandi.

Duplex Dialecticæ materia. Intrinseca, sive ex qua.

Forma mentis operatione quomodo inducta.

Extrinseca sive in qua, vel circa quam: quæ est Dialecticæ subiectũ, quo de vide plura sub lit. E.

Dialectices officium.

Li. de reprehen. Sophist. cap. 22.

Dialectices partem esse analyticen. Rhet. lib. 1.

Cumq; duplex sit scientiæ Dialecticæ, sicut aliarũ scientiarum, materia: vna intrinseca; quæ sunt pręceptiones quędam, normæ, leges, regulæ certæ miniméque fallaces cognitionis & vsus vocis simplicis, enunciationis, argumentationis; definiendi quoque, ac dividendi: locorũmque thesauri ad argumentũ suppeditandum pernecessarij: (quæ Dialecticæ tractationis partes sunt: eiusque à quibusdam sub triplicis animi operationis nomine subiectum nuncupata) ex qua, opera artificióque mentis & intelligentiæ congruenter quæque perspiciendo, coagmentando, disponendo, dirigendo atque accommodando, informata, conflata ac constituta est: Altera extrinseca, sibíque subiecta, in qua vel circa quam versatur. Ex illa quidem, quippe cùm omnem suam inde certitudinem, firmitatem ac stabilitatem habeat: scientia, dicitur: ex hac verò nequaquam: quemadmodum in Dialectica docente atque vtente, vt loquuntur (quàm autem rectè, non habeo dicere) spectari potest. Etenim si officium Dialectices, vt apertè tradit Aristoteles, sit, de quaque re proposita probabiliter disserere: quod absque istarum rerum omnium cognitione fieri nequit: necesse omnino erit, in informando Dialecticum, eisdem omnibus imbuere eum. Nec dubium est, quin iuxta vsum, & purè ac Latinè loquendi scribendiqúe morem & consuetudinem, nomen Dialectices sic accipi & possit & debeat, vt vniversa quæ ad artis huius perfectionem pertinent, complectatur. Id quod ex ipsomet etiam Aristotele perspicuum planè est: cùm scribit, Dialectices esse aut totius, aut certe partis ipsius, de syllogismo in vniversum tractare. Quibus verbis significat id quod paulo post dicit: Dialectices partem esse analyticen. Neque enim in topicis, & lib. de reprehé. sophist. analyticen docuit (ne quis putet his duobus perfici Dialecticam) cùm tamen ipso auctore sit pars Dialectices. Quod si analytice, secundùm ipsum Aristotelem, in Dialecticis venit, certè de propositione, ac voce simplici multò est minus ambigendum. Quo

circa hæc omnia in Dialectico necessariò requiruntur ad munus suum atque officium rectè obeundum.

d. *Angustè*, id est, breviter, compressè, strictim: inserui ad excludendum Rhetoricam: quoniam, vt Ciceroni visum est, Dialectica & Rhetorica hoc differunt: quòd hæc dicendi ratio latior sit, illa loquendi contractior. Atq; vt eidem placet, inter Dialecticum & Oratorem hoc interest: quod eadem de quibus ille tenui quodam & exiguo sermone disputat, hic cum omni gravitate & iucunditate explicet. Prætereà Zeno quidem ille, eodem referente Cicerone, à quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset: nam cùm compresserat digitos, pugnúmque fecerat, Dialecticam aiebat eiusmodi esse: cùm autem diduxerat, manumque dilataverat; palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque etiam alio loco; quæ quasi contracta & astricta, inquit, eloquentia putanda est: sine qua etiam tu Brute iudicasti te illam iustam eloquentiam, quam Dialecticam dilatatam esse putant, consequi non posse. Ex quibus manifestum est, perpetuam orationem ad Rhetorem, concisam ad Dialecticum pertinere. Neque aliud quicquam interesse inter Dialecticen & Rhetoricen, quàm si manum eandem primùm in pugnum comprimas; deinde rursum explices ac diducas. Denique Dialecticorum theses: Rhetorum materiam esse hypotheses.

Angustè, quorsum, insertum in definitione Dialecticæ.

e. Omnis quæstio dubitationem quandam præ se ferre videtur. Quocirca neutra eius pars adhibita responsione, tam vera vel falsa apud Dialecticos, quam veri aut falsi aliqua similitudine nisi putatur. Et quanquam nihil suapte natura est probabile; sed omnia pronunciata, in se vera sunt vel falsa; multa tamen quatenus à Dialectico vi & pondere argumentorum in vtramque partē torquentur; ex veris atque falsis, ratione quidem & iudicio nostro, qui rerū causas ignoramus, nō quòd ita revera se res habeat, probabilia sanè, ac veri tātū falsique similia efficiuntur. Imò omnia, quatenus probabili ratione & argumēto à Dialectico tractātur, cēsētur esse probabilia. Ex quo fit, quòd quęstio probabilis materia illa extrinseca, quam tractat, & in qua tanquā ei ad disputandum subiecta versatur Dialectica, esse dicatur: Id est omne quod in hominum disceptationem cadere potest. Non enim sicut cæteræ ferè artes, sic Dialectica certam ac definitam aliquam regionem habet, cuius terminis finibusque septa teneatur: sed fundamentum, seu materia sive subiectum Dialecticæ secundùm Ciceronem est, quicquid enuncietur, aut verum esse aut falsum. Nam & de omni re quæri potest; & disputatio in quæstione omnis vertitur. Vnde & definimus Dialecticam, scientiam de quaque re disserendi. In eo igitur omninò vel confirmando vel refutando versatur Dialecticus, de quo ambigitur. Quod quidem alij thema, alij

Quæstio probabilis, quare materia Dialecticæ constituta.

Cic. Acad. Quæst. lib. 4.

alij quæstionem, alij quamcumque rem propositam, alij denique aliud, prout cuique intelligentius posse visum est, expresserunt. Qua quidem ex parte artem Rhetoricam rectè scribit Aristoteles respondere Dialecticæ. Hisce etenim duabus solis, ex omnibus scientijs, nullis circumscriptis limitibus, per vniversum rerum omnium campum quacumque velint, licet vagari libere; atque vbicũque constiterint, consistere in suo.

Arist. in principio artis Rhetoricæ.

Dialecticæ & Rhetoricæ nulla certa ac definita materia.

Definire.

Dividere.

Ratiocinari.

Definienda.

Dividenda.

Confirmāda.

Refutanda.

f. *Definire*, est breviter explicare quid sit id de quo agitur.

g. *Dividere*, est id, quod commune & vniversum est, in sua inferiora diducere ac distribuere.

h. *Ratiocinari* seu *argumentari*, est, propositiones cum inferendi nota aptè connectendo, aliud ex alio concludere: vt & nostra probare, & quæ contraria sunt, refellere possimus.

Obscura definienda,
Vniversa dividenda,
Vera confirmanda,
Falsa refutanda, } sunt.

Cur prius de Iudicio.

i. Constat quidem inter omnes, Inventionem Iudicio priorem esse ordine naturæ. Verum an in docendo commodius, & cum maiore discentium vtilitate anteponenda sint quæ ad Inventionẽ pertinent, non perinde liquet. Cum autem vtrumque naturale sit, sed ab arte atque doctrina adiumentum & perfectionem quærat: merito ab eo incipiendum videtur quod sua natura debilius, præceptionum ope magis indiget. Nam licet hęc duo inter se vsu adeo permixta & confusa sint, vt neutrum sine altero partes suas discretè ac distinctè agere, munúsque plenè atq; perfectè explere queat: seorsum tamen ac separatim tradi, doceri, & pertractari possunt ea quæ ad vtrũq; pertinent adiuvandum. Nos itaque ea quæ Iudicandi parti adscribi & adsignari solent, (duorum potissimum summorum Philosophorum Boetij & Alexandri Aphrodisei, quem ille contra Philoponum eadem de re contendentem amplectitur, iudicium auctoritatemque sequuti) priore loco tradenda propterea existimamus, quod inventio naturæ magis adiumenta desiderat: Iudicium vero artis. Ex quo factum est, Cicerone referente, vt cum omnis ratio diligens disserendi duos habeat partes: vnam inveniendi, alteram iudicandi: iudicãdi vias Stoici diligenter persequuti sint (eam scientiam quam Dialecticen appellant) Inveniendi verò artem, quæ Topice dicitur, totam reliquerint. Inventio autem, quatenus doctrina & arte nititur, locorum potissimũm cognitione; Iudicium verò, argumentationis, eiusquè partium omniũ inspectione & perspicientia præcipuè comparatur. In quibus duabus Dialecticæ partibus ita constituendis, Ciceronem, Quintilianum, Boëtium, cæterosquè tum veteres, tum recentiores præstantiores quosque sequuti sumus.

Inventio & Iudicium vnde comparantur.

Ven

Vox simplex est vnica seorsum per se elata, cuius pars nulla quicquam declarat separatim. — Vox simplex.

l. *Propositio*: est oratio verum vel falsum enuncians. — Propositio.

m. *Argumentatio*, est oratio, qua aliud ex alio ritè infertur vel, qua propositiones cum inferendi vocula rectè connectuntur. — Argumentatio.

Atq; hæc quidem hic hactenus primoribus, vt dicitur, labris gustando, & extremis quasi digitis attingendo, enucleatius suis locis explicaturi leviter perstrinximus: Quò tyrones, quorum potissimum causâ in hoc negotio nostrum desudat ingenium, iam inde se à principio exercere assuescant.

n. Methodus autem, sive ordo seu ratio & via docendi discendiquè, iuvandæ memoriæ, & intelligentiæ studio comparata; est earum rerum quæ tractantur in disciplinis apta dispositio; vel pro natura rerum vel captu discentium, vel affectu audientium. Quæ postrema est Oratorum & Poetarum propria. — Methodus quid.

Est autem triplex — Quotuplex.

- Vna, quam σύνθεσιν Græci, nos constructionem vocare possumus: qua totum ex partibus componimus; & à minutissimis exorsi, ad maiores progredimur, inde ad alias; quoad continenti progressione ad finem perveniamus.
- Altera, ἀνάλυσις, id est, dissolutio, dicitur, estq; omninò compositioni adversa, à toto nimirum ad partes descensio.
- Tertia, διαίρεσις, id est divisio, per quam primùm definiendo, deinde distinguendo, à summis ad ima descendimus.

Ex quibus nos, vt discentium captui commodissimum, & naturæ rerum maximè consentaneum, sequemur hoc quidem tempore, id quod doctissimos fecisse animadvertimus, constructionis ordinem: atque à voce simplici exorsi, indéque ad propositionem progressi, in argumentatione demum consistemus. — Præsentis instituti methodus.

CAP. II.
De Voce

VOx, est [a] *sonus* [b] *ex animantis ore editus*, [c] *naturalibus quibusdam instrumentis ritè formatus. vt*, Deus. — Vox quid.

Dividitur in

- *Significantem aut,* — Significans
  - *Categorematicè & separatim. quæ per se absolutè aliquid significat. vt*, homo. — Categorematicè.
  - *Syncategorematicè & coniunctim: quæ non nisi alijs adiuncta quidquam declarat: ideoq; consignificans vulgo nuncupatur. vt*, omnis, nullus, *& Syncategoremata, quæ dicuntur, omnia: de quibus posteà enodatiùs.* — Syncategorematicè. Ca. 4. C. 6. in.
- *Non significantem: Quæ nulli rei significandæ destinatur. vt*, phlam, phlew; twittle, twatle. — Non significans.

Signi-

Significans ex instituto.

Significans naturaliter.

Significans in

- *Significantem ex instituto: Quæ ab homine rei alicui designandæ tribuitur. vt,* aurum, lapis: *quæ tales res non significassent, nisi eisdem ab homine attributæ fuissent.*
- *Significantem naturaliter: Quæ ipsa quidem ex se suâpte naturâ aliquid denotat. vt* risus, fletus: *Quarum illa, animi lætitiam, hæc tristitiam indicasset, etsi nulla illis nomina homo imposuisset.*

Primæ intentionis.

Secundæ intentionis.

Significans ex instituto in vocem

- *Primæ intentionis, sive impositionis, seu rei: vt, quæ primo rebus impositæ sunt, eisque propriè conveniunt: Et quibus sensa animi dicendo exprimere possimus. vt,* vrbs, plebiscitum, senatus frequens, velle suum cuique est.
- *Secundæ intentionis, sive impositionis, seu artis: vt, quibus non ad res ipsas, sed affectiones ac proprietates quasdam quæ rebus ipsis conveniunt, significandas, in tradendis artibus vtimur. vt,* nomen, verbum, categoria, prædicabile, genus, definitio.

Simplex.

Coniuncta.

Vox primæ intentionis in

- *Simplicem:* *Cuius pars nulla separata quicquam, velut in compositione, declarat. vt,* ingenium paterfamilias, vincit.
- *Coniunctã: Quę ex pluribus simplicibus cõflata est. vt,* Ingeniũ excellens, paterfamilias prudens & attẽtus, omnia conando docilis solertia vincit.

Vox simplex re & voce simul.

Re tantum

Voce tantum

Simplex in simplicem vel

- *Re*
  - *Et voce simul: quæ est vox vnica ac sola vnius simplicis significationis, per se seperatimq; posita. vt,* virtus.
  - *Tantum: quæ, cum plures sint coniunctę, rem tamen vnam simplicem significant. vt,* Iureconsultus, aptum ad ridendum: *& differentiæ, ac proprietates plurimæ.*

  Atq; hæ quidem, cum in illis idem semper conceptus maneat, eademq; significatio: vt in homine: quæ sive ad Socratem, sive ad Platonem, vel Aristotelem, sive ad quẽvis alium referatur, eandem semper mens concipit eiusdem nominis rationem & significationem, quæ in humanæ naturæ communione cernitur: dicuntur vnivocæ.
- *Voce tantum: Quæ cùm aliò atq; aliò relata, in hominis mente sub vno nomine varium conceptum gignat, ac diversum procreet sensum & interpretationem: vt* Canis: *Quæ, si ad piscem eiusdem nominis transferatur, mens vnum concipit: si vero ad sidus, aliud: si autem ad animal domesticum, tertium quiddam: Quæ omnia in eiusdẽ generis proximi cõmunitate nequaquã cõtinẽtur: æquivoca appellatur.*

Communis.

Singularis.

Simplex re & significatione, sive vnivoca in

- *Communem. quæ de pluribus apta nata est dici vt,* equus. *Atque ipsa est prædicabile, sive vniversale: quod mox aggrediemur.*
- *Singularem: Quæ vni tantum rei singulari & individuæ attribui potest. vt,* Cantabrigia.

Comment. ad Cap. II.

a. SOnus, est quicquid ab auditu propriè, & per se percipitur: silentium etenim non per se, sed per absentiā soni, hoc est, privativè, non positivè (vt loquuntur Dialectici) persentitur. *Sonus quid.*

b. Vox Angeli, aut spiritus, etsi non sit ab animali edita, est tamen ab æquivalente, quod perinde esse intelligitur. Sed quia naturaliter non contingit, parum ad Philosophos attinet: qui non nisi ea quæ secundum naturam fiunt, considerare solent. Angeli autem propriè non loquuntur, sed est aliquid simile locutioni, in quantùm formant sonos in aëre similes vocibus humanis. *Vox Angeli, aut spiritus.*

c. *Instrumenta novem sunt, guttur, lingua, palatum.* *Instrumenta loquendi.*

Quatuor & dentes, ac duo labra simul:

Quibus ad vocem aptè, distinctè, convenienter, commodè emittendam, formandam, variandamque præcipue vtimur. Veruntamen horum alicuius defectus nequaquam impedit quo minus sonus ex animalis ore alias ritè editus, naturam vocis veræ rectè sortiatur.

d. Vox simplex sive incomplexa, trifariam sic distingui solet. *Vocis simplicis distinctio.*

- Voce tantùm: quando sub vno nomine plures latent significationes, vt, *canis taurus, piscis*, & omnia æquivoca.
- Significatione tantùm: quando ad vnam rem simplicem exprimēdam plures voces ob defectum proprij nominis coniunguntur, vt, *respublica, ratione præditum, aptum ad ridendum.*
- Voce pariter & significatione: quando vnica dictio vnam rem quoque simplicem declarat, vt, *equus*.

Atque de ijs duabus posterioribus, quæ vnivocæ sunt, omnis in re Dilectica sermo instituitur.

e. Quāquam partes vocum simpliciū re & significatione tātum, aliquid etiam separatim significant: nihil tamen per se, vt in compositione, declarant: quod, *respublica, peroratio*, eorumq; partes facile demonstrant. *Partes vocū quomodo significant.*

f. Pari item ratione coniuncta, seu composita, sive complexa, tripartitò sic: *Vox coniūcta quotuplex.*

- Voce tantùm; vt omnes significatione dūtaxat simplices.
- Significatione tantùm vt omnes voce duntaxat simplices.
- Vtroque: vt oratio: quā de hoc in libro nihil, sed in sequentibus agetur.

g. *Vox vnivoca*, sive synonyma dicitur, cuius & nomen commune est, & vis, notio, ac significatio nominis pariter eadem, vt, *animalis*, ad hominem & bovem. *Vox vnivoca*

h. *Vox æquivoca*, sive homonyma appellatur: cuius nomen solùm com- *Vox æquivoca.*

Vox æquivoca.

commune est, conceptio autem ratio & potestas nominis alia atque alia. vt, *homi is*, id hominem vivum atque depictum.

Atque hęc sensu plane Dialectico: quo homonynum intelligitur, quod vno nomine multa denotat: Polyonymon, quod vnum existens, multis exprimitur nominibus: Synonymon. quod vno nomine rem quoque vnam simplicem designat. Nam secundum etymologiam, & plerosque auctores, homonyma censentur, multa eiusdem nominis, nomine convenientia, eandem appellationem sortita, commune nomen habentia, eodem nomine nuncupata, nominis communione societate coniuncta: Synonyma vero, multa eiusdē rei nomina. Quæ etymologicæ interpretationes ab vsu, more, consuetudine, & sermone Dialectico, quemadmodum ex superioribus patet, prorsus abhorrentes sunt & alienæ.

Vox vnivoca.

Vnivocata.

Vnivoca autem alia dicitur,
{ Vnivocans: nomen scilicet commune, cui alia subsunt: velut genus ad suas formas.
Vnivocata: vt voces nimirum communi illi nomini subiectæ: veluti species eiusdem generis. }

Aequivocans

Aequivocata

Itemq; æquivoca alia,
{ Aequivocans nempe vox ipsa res multas complectens. vt *c. nis*.
Aequivocata: vti voces videlicet illæ, quibus res variæ voce ambigua significatæ exprimuntur. }

Casu.

Consilio.

Quæ interdum quidem casu, temerè, fortuito vt *canis* cœlestis, terrenus, aquatilis: aliâ verò consilio, cogitatè, consultò. vt *homo* vivus, pictus, mortuus, talia reperiuntur.

Analoga.

Analoga, media quasi inter vnivoca atque ęquivoca, dicuntur ea, quæ, cum non vnam, certam, propriam eandemque, verùm similem rationem, seu comparationem, proportionemve inter se, vel ad tertium aliquod habeant ac vel vni quidem rei prius, alteri posterius; vni perfectè, alteri imperfectè, vni principaliter alteri minus principaliter: vni omnino ac simpliciter, alteri ex parte & secundum quid: vel vni denique secundum naturam & essentiam cōveniant, alteri per participationem aut imitationem vel similitudinem tantum: neque planè vnivocè, neque porrò æquivocè dicuntur de iis, quibuscum suam ipsa sic inæqualiter impariterque communicant participantque naturam. *Sic Ens* de substantia dicitur & accidente: *sanitas*, de medicina, vrina, & animali: cuius illa quidem causa, ista signum, hoc vero subiectum intelligitur. Item *bonitas & perfectio*, de Deo & homine: atque de Deo verò secūdùm naturam & essentiam; de homine autem per participationem aut imitationem: de vtroque rectè quidem & verè: attamen secūdùm eam, quam ad Deum creatura habere posse intelligatur, analogiam. Similiter, *capuis, corpus*, & eiusmodi de iis quibus variè attribui solent.

Vox

Vox singularis sive individuum aliud dicitur.
- Determinatum, vel
  - ex nomine. vt, *Plato.*
  - ex demonstratione. vt, *hic homo.*
- Vagum. vt, *quidam homo.*
- Ex hypothesi. vt, *qui togatus inambulat.*
- Per periphrasin. vt, *Carthagenis eversor. Troiani belli scriptor. Romanæ eloquentiæ princeps.*
- Per antonomasian, sive κατ' ἐξοχὴν, id est per excellentiam. vt, *Vrbs, Poëta, Orator, Philosophus, Apostolus, Servator.*

Individuum quot modis dicatur.

Septem sunt proprietates, quibus internoscũtur ac distinguntur indiuidua, hoc versiculo comprehensæ.

Septem proprietates, quibus dignoscuntur individua.

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus,

Licet hoc singulare, vel illud primò (vt loquuntur) intentionaliter sumptum, vtpote *Petrus* vel *Joannes*, definiri nequeat. tamen id quod pertinet ad communem rationem singularitatis secundò intentionaliter sumptum, definiri potest. Et sic Philosophus definit primam substantiam: & Boetius personam. Est autem Individuum sive singulare, quod de vno solùm singulorum dicitur. vel, Cuius proprietates omnes in alio eædem nullo inveniuntur.

Qua ratione singulare definiatur.

Quid individuum seu singulare.

Plures sunt vocis divisiones: quibus existimavi tyronum ingenia in initio non esse fastidiosè obruenda.

Quarum vna est, in
- Articulatam, seu distinctam, quæ literis & syllabis exprimatur. vt, *liber.* — Vox articulata.
- Inarticulatam & confusam: quæ literarum notis nequit comprehendi ut sonus ille ridendi, hinniendi, rudendi, latrandi, & belluarum omnes. — Inarticulata

Altera in
- Denominantem: quæ est nomen substantiuum quod abstractum Dialectici appellant vt, *eruditio.* — Denominãs,
- Denominativam: quæ est nomen adiectiuum à substantivo suo derivatum: quod concretum vocant. vt, *eruditus.* — Denominativa.
- Denominatam; quæ ex illis denominationem accipit: quemadmodum homo eruditione præditus, dicitur eruditus. — Denominata

Tertia in
- Finitam, vt, *lapis, scribit.* — Finita.
- Infinitam. vt, *non lapis, non scribit.* — Infinita.

Quarta in
- Rectam. vt, *terra, lego.* — Recta.
- Obliquam. vt, *Ciceronis, legebat.* — Obliqua.

De quibus vide plura Li. 2. cap. 3. in Comment.

Denominantis & denominativæ vocis convenientia.

Vox denominans & denominativa conveniunt, interdum
- Voce tantum. vt, *somnus* & *somniculosus*.
- Significatione tantum. vt, *virtus* & *probus*.
- Vtroq; pariter. vt, *iustitia* & *iustus*.

Argumentatio à denominante ad denominativam.

Argumentatio à denominante ad denominativam, quæ voce duntaxat conveniunt principali autem significatione discrepant, nihil habet firmitatis ac roboris : à cæteris autem satis ad probandum virium.

Paronyma.

Paronyma autem, seu denominativa vocantur abstractum & concretum (substantivum & adiectivum Grammatici nominant) quæ eadem stirpe exorta, aliqua nominis similitudine, in quibus possit, servata, ita variantur : vt, *fortitudo* & *fortis* : *iustitia*, & *iustus*.

CAP. III.

De voce communi, seu prædicabili, vel vniversali.

Vox communis quid.

VOX communis, seu prædicabile, sive universale intelligitur [a] *vox simplex* [b] *quæ de multis apta nata est dici* [c] *univocè. vt*, animal, scientia, virtus.

Eius divisio.

In quinque membra tribuitur :
- *Genus.*
- *Speciem.*
- *Differentiam.*
- *Proprium.*
- *Accidens.*

Genus.

[d] *Genus est vox communis, quæ de multis, specie autem differentibus dicitur, cum* [m] *quid quicq; eorum sit, quæritur. vt* animal, *de homine & bellua : Nam cum quid quicq; horum sit indagatur : rectè respondetur, Animal.*

Est autem triplex.
- *Summum : vt* substantia, quantitas, qualitas, *& reliqua categoriarum capita.*
- *Intermedium : vt*, corpus.
- *Infimum : vt*, animal.

Species.

[e] *Species, est vox communis, quæ* [f] *de multis quidem, sed numero ac singulatim tantum differentibus dicitur, cum quid quicq; eorum sit quæritur.* vt, homo *de Platone, Socrate, Aristotele, singulisq; hominibus. Cum enim quid quicq; eorum sit, exquiritur : apte respondetur, Homo.*

Ea quoq; triplex constituitur.
- *Prima : vt*, corpus.
- *Interiecta : vt*, animal.
- *Vltima : vt*, homo. *Quæ sola hoc loco definitur : vtpote quæ sola prædicabile est, & simpliciter species.*

Differentia.

[g] *Differentia, est vox communis, quæ de multis etiam, specie vel numero differentibus dicitur, cum quale quid quicq; sit quæritur. vt*, rationis particeps. *de singulis hominibus : Cum enim quale quid quicq; eorum sit,*

sit, investigatur: rectè respondetur, Rationis particeps.

Estque ea duplex.
- *Dividens, qua genus in species suas diducitur.* vt, rationis particeps, et rationis expers, *animaliū genus dividūt.*
- *Efficiens, qua species procreatur: vt,* senciens, *additū corpori animato, efficit animal: animali,* rationis particeps, *hominem;* rationis expers, *bestiam.*

[h] *Proprium est quod vni rei soli, & semper, totiq; accidentaliter* [a] *necessarioq; convenit. vt, loqui, & ridere posse, homini.* — Proprium.

[i] *Accidens est, quod sine rei in qua inhæret, interitu, tum* [l] *adesse, tum* [k] *abesse posse intelligitur vt, doctrina, probitas.* — Accidens.

Duplex est:
- [k] *Separabile; quod reverà subiecto detrahi potest. vt, calor aquæ; candor inhærens parieti.*
- [k] *Non separabile, quod reipsa seiungi ac divelli nequit. vt, calor ab igne: candor à cygno: nigror à corvo.*

Comment. ad Cap. III.

OMnes istæ definitiones & divisiones vocum artis sunt, non rerum. Neque verò hæ voces, quas vocamus artis, nudæ planè sunt, & inanes: Nam licet res ipsas non significent, significant tamen affectiones quasdam & proprietates, quæ rebus ipsis conveniunt, quatenus ab intellectu nostro apprehenduntur. — Voces artis quid significant.

a. *Vox simplex*, re & significatione intelligenda est: vt dictio, *vnivocè*, adiecta declarat. Nam quæ voce tantùm est coniuncta, non censetur propterea è Prædicabilium numero eximenda. Re autē & significatione simplex, ea demùm censenda est, cuius res principaliter significata vnius naturæ invenitur: hoc est, cuius natura aut omninò simplex est, vt summorum generum ac differentiarum: quorum illa quasi nuda materia absque omni forma: hæ verò tanquam forma sine materia putandæ sunt: aut ex actu & potentia, idest, genere, ac differentia (nam per actum, differentia: per potētiam, genus intelligitur) eiusdem prædicamenti composita: vti homo ex animali & mente ac ratione prædito: atq; inferiora primis illis generibus omnia. Vnde voces illæ, quibus res artificiales, quarum natura (cùm ex actu & potentia, id est, materia & forma (Potentia etenim in hisce, materia, actu forma designatur) non eiusdem sed diversorum prædicamentorum constent: materia quippe substantia est, forma autem artificis manu inducta, accidens: quę eiusdem prædicamenti complexu nequaquam contineantur) non vna est, exprimuntur, omnes ab hoc ordine excluduntur. Non autē ex quibus res illæ quę naturâ perficiuntur, licet artificis opera manúsque accedat. Cuius generis videntur *panis, vinum,* & similia. — Vox re & significatione simplex quæ verè censenda.

b. Individua, sive collectiva illa fuerint per aggregationem ex multis vt, *hæc turba*: sive pluraliter, sicquè res multæ, sumpta; vt,

Individua collectiva, & pluraliter sumpta.

hi homines; quanquam de pluribus quidem quasi vnivocè; quoniam tamen nec propriè, vt superiora nimirum de inferioribus; nec disiunctim atque seorsum, in diversis videlicet enũtiationibus; sed, vel per aggregationem multorum, vel vt revera multa haudquaquam vnius naturæ, neque vt propriè individua sive res veiè singulæ dicuntur: ex predicabilium numero exclusa intelliguntur. Denique si omnium individuorum genera perquiras quod de pluribus sanè (re quidem distinctis nec sibi subordinatis) vnivocè, propriè, divisimque dicatur, nusquam invenias. Nomen quippe, *Ioannes*, prædicatur de multis: attamen res & natura illa humana singularis significata hoc nomine in vna enunciatione cæteris non communicatur in aliis: sed alia atque alia sub eodem nomine renascitur. At verò omne prædicabile aptum est de multis re distinctis, nec subordinatis, nomine & natura cõmunicabili propriè & separatim dici. Ipsa enim Notio cuiusq; prædicabilis apta nata est dici de multis; licet nonnunquam ob defectum rei actu & reipsa nequeat. Quot autem, & quibus de causis hic defectus proveniat, vbi ad Speciem perventum fuerit, commonstrabitur.

Dici vnivocè

c. Quia omne prædicabile est vox vniuoca, vt ex vltima vocis diuisione liquet, omne certè prædicabile dicetur vniuocè: hoc est, vno nomine, vnóque animi conceptu ac significatione.

Generis nomen multiplex.

d. Generis nomen trifariam vsurpamus.

1. Pro collectione multorum, qui ad vnum quiddam, & inter se quodammodo sunt affecti, ac cognatione quãdam coniuncti. vt, qui ab vno parente aut patria ortum atq; originem ducunt.

2. Pro eo, vnde alicui ortus principium est; sive ab eo qui genuit: sive ab eo loco in quo quis ortus est. vt, *pater*, vel *patria*.

3. Pro eo, cui subiicitur species: quod solum est Dialecticum.

Genus pro specie.

Generis item nomine sæpe Latini pro forma ac specie vti consueverunt.

Genus Dialecticum triplex.

Est autem genus Dialecticum & prædicabile triplex.

Summum, quod, cum nullum eo sit superius, species esse nullo modo potest. vt, substantia, quãtitas, qualitas, & reliqua categoriarum capita: quæ quidem summa dicuntur, non quòd nihil habeant omnino superius: sed quod nullum habeant superius vnivocum & prædicamentale genus.

Medium, quod, cum superius atque inferius habeat, cum illo quidem collatum, formæ, cum hoc autem generis faciem induit. vt, *corpus*, & omnia interiecta inter supremum genus & infimum.

Infimum, quo, cum vltimis sit proximum, nullum esse inferius potest. vt, *animal*, ex parte hominis, non

non autem bestię. Nam mas & femina, vir, mulier, & eiusmodi, sexuum sunt, & qualitatum, accidentales plane, nō essentiarū, ac specificæ differētiæ.

Denique omne superius ad suum inferius relatum, generis locum in argumentando obtinet: vt transcendentia, & vltimæ formæ. — Omnē superius.

Speciei quoq; seu formæ nomine bifariam vtimur. — Speciei seu formæ nomen.

Pro formositate & pulcritudine: vnde formosi & speciosi dicuntur.

Pro eo, quod subest generi: sive de multis tantum, numero ac singulatim duntaxat differentibus, interroganti, quid est, respondēdo, dicitur: Quę dialectica habetur.

Accipitur etiam species pro simulatione, vt, quando dicimus quēpiam præ se ferre speciem boni viri. — Species pro simulatione.

Ac species quidem Dialectica triplex est: — Species Dialectica triplex.

Prima, qua non est alia antiquior. vt, *corpus*, eáque omnia, quæ sūt primis generibus proxima

Interiecta, quæ & priorem, & posteriorē habet. vt, *animal*: atq; ea omnia quæ inter primam & vltimam continentur Atq; hæ quidē duæ simpliciter & reipsa genera sunt; atq; in eodem cū generibus numero collocandæ: species tantùm cum superioribus suis collatæ.

Vltima, qua cum nulla sit posterior (est enim individuis proxima) sēper illa species est, & nūquam genus: vt, *leo*. Atque hæc sola hoc loco definitur: vtpote quę vna ex omnibus, prædicabilis est, & simpliciter species.

Denique omne inferius ad suum superius relatum, speciei locū in argumentando obtinet: vti summa genera, & individua. — Omne inferius.

Porrò dicitur species.

Predicabilis non subiicibilis: quæ prædicatur quidem de suis individuis vt species, nulli autē generi subiicitur: veluti *rationale*.

Subiicibilis non prædicabilis: quæ subiicitur superiori generi vt species, prędicatur verò non vti species, sed genus vt, *animal*.

Prædicabilis pariter & subiicibilis: quæ & prædicatur sicut species, & subiicitur generi. vt, *homo*.

Omnis species apta est quoad ipsam notionem nominis dici de multis licet ob defectum rei interdum actu non possit, eò quòd vnum solum habeat individuum. vt, *sol*, *luna*, *phœnix*, *mundus*. Nec tamen desinit esse species. Neque enim si nullum prorsus actu & reipsa in natura rerū esset individuum alicuius speciei, ipsa propterea penitus dę medio tolleretur, ita vt omninò periret: quoniam vniversalia non oriuntur, nec intereunt: sed illa generalis notio, quæ est species, in mente & intelligētia perpetuò resideret. — Omnis species quómodo apta dici de multis.

Nam inferiora non tollunt superiora: vt enim tollantur rationis particeps, & rationis expers; tamen substantia animata sensus compos, quod animal est, mente & cogitatione (si Porphyrio credimus) intelligitur. Verùm sublatis primis naturis atque substantiis, testante Aristotele, nihil loci relinquitur cæteris omnibus, speciei nimirum & generi: sanè quidem quoad videlicet esse in actu, & naturã rerum existentium. Etenim genera & species non existunt nisi in suis singulis. Non sunt enim actu in natura rerum existentium, nisi ratione suorum individuorum: si enim ipsa per se existerent, eodem auctore Aristotele monstra essent.

Vnicum speciei individuum quoties invenitur.

Triplici autem ratione evenit, vt species vnũ solum habeat individuũ,
1. Quando tota materia speciei continetur in vno individuo. vt, in mundo.
2. Quando illud vnum individuum perpetuum est, & per se sufficiens, vt, in sole & luna.
3. Quãdo plura ad generationẽ & cõservationẽ speciei non requiruntur vt, in Phœnice.

Differentia quotuplex.

2. Differentia qua res inter se differunt, est triplex,
Communis, Accidens nimirum separabile, & qualecumque discrimen: veluti, quo tristis ab hilari, agilis à tardo, vir à seipso olim puero distat.
Propria, Accidens non separabile, quo cygnus à corvo cãdore differt. Vtraque fortuita solùm discrimina notat, nec ad hũc locũ pertinet.
Maximè propria, quæ speciei effectrix & procreatrix rectè dicitur; & vocum communium tertia numeratur; verumque discrimen ostendit, quo species vnaquæque à cæteris distat: vt, *rationis compos*.

Dividens. efficiens.

Atque hæc divisa est in dividentem & efficientem: quæ duæ reipsa vna eademque sunt: ratione tantum à seipsa differens. Nam respectu quidem generis, quod dividit, dicitur divisiva: respectu autem speciei, quam constituit, constitutiva appellatur. Verbi gratia, *rationis particeps*, divisiva est animalis, & constitutiva hominis, illud dividens, hunc constituens.

Nec genus summum differentiam propriè constituentem, nec species vltima dividentem habet.

Generalis. Specialis. Positiva. Privativa.

Rursum alia dicitur.
Generalis, vt, *sensus compos*.
Specialis, vt, *rationis particeps*.

Præterea alia
Positiva: vt, *sensum habens, rationis particeps*.
Privativa. vt *sensu carens; rationis expers*: quæ in germanæ desideratæ locum, plerumque sufficitur.

Differentiæ munus.

Ad extremum differentiæ munus est dividere genus, procreare, & constituere speciem, eamque essentialiter distinguere ab

omni-

omnibus aliis formis, quæ sub eodem genere continentur.

5. Proprium quadruplex constituitur.

1. Quod vni soli speciei convenit, sed non toti. vt, Poetam, Geometram, musicum, Oratorem esse, homini quidem soli cõvenit, verum non omni.
2. Quod toti speciei convenit, at nõ soli, vt bipedem esse, homini, sed non soli.
3. Quod toti speciei, & soli convenit, at non semper. vt, pubescere, canescere, hominibus omnibus, & solis convenit; at non semper: sed illud in adolescentia, hoc ferè in senectute.
4. Quod vni quidem rei soli toti, sempérq; cõvenit: quod vnũ verè proprium est prædicabile, & est quadruplex.
   1. Speciale id est, alicuius speciei vltimæ: vt, aptũ esse ad ridẽdũ, hominis.
   2. Subalternum vt vocant, id est, alicuius generis intermedij: vt sentire posse, animalis
   3. Generalissimũ, id est, alicuius sũmi generis: vt per se cõsistere, substantiæ.
   4. Trãscẽdẽs, id est, alicuius trãscẽdẽtis: vt habere essentiam, rei.

Proprium quadruplex.

Rursum constituit Arist. proprium quadruplex.

- Per se, & vi sua. veluti hominis proprium est, ridere.
- Alterius cõparatione; vt animi ad corpus, imperare; corporis verò ad animũ parere.
- Sẽper: vt, virtutis homines laudabiles efficere
- Interdum: vt, certi hominis, deambulare in Gymnasio.

Rursum quadruplex.

1. Accidens dicitur.

- Prædicabile, quatenus aptum est de subiecto prædicari: quod in concreto fit. Etenim abstracta insunt in subiectis illa quidem: attamẽ concreta de eisdem prædicantur. Nam in abstracto sanè prædicando de suis inferioribus; non iam accidentis, respectu illorum; verum generis specieive nomen ritè obtinet.
- Prædicamentale verò, quatenus in prædicamento reponitur: sive illud abstractũ, sive concretum sive vniversale, sive singulare fuerit.

Accidens prædicabile Prædicamentale.

Quoniam autem omne prædicabile est in prædicamento, omne accidens prædicabile rectè prædicamentale dicitur, non contra. Nam cum novem sint genera, sive categoriæ, seu series atq; ordines accidentium; Quantitas, Qualitas, Collatio, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs Habitus: quicquid horum aliquo continetur, accidens prædicamentale dici potest: at non perinde prædicabile. Quippe cum individua accidentium prædicari nequeant; quæ tamen sedem in prædicamentis vendicant.

Omne prædicabile in prædicamento.

k. Quanquam quædam accidentia ita subiectis inhærent,

Omne accidens quodammodo separabile.

vt inde reipsa expelli nequeant: mente tamen & cogitatione ita seiungi ac separari possint: vt integra subiecti natura, & perfecta substantia maneat. potest enim, teste Porphyrio, & corvus albus, & Aethiops intelligi mutato colore, sine interitu ipsarum rerum. Neq; enim si fingamus animis Æthiopem candidum, propterea desinit esse homo, aut rationis particeps, aut aptus ad ridendum. Quod & de sensu quoq; tangendi, nativo calore, facultate nutriendi, vitali operatione, pulsatione cordis, spirituũ agitatione, aliisquè similibus, quatenus ad ipsius speciei naturam non pertinent, quantũcunque videantur ad individui conservationẽ ac subsistentiã necessaria pari ratione est sentiendum. Atque hoc ipso differt proprium ab Accidente non separabili, quòd accidens non separabile quãquã actu à re subiecta avelli nequit, mẽte tamẽ & cogitatione seiungi possit: non autem proprium, quod licet nõ sit de essentia rei ab ipsis tamen speciei essentialibus principijs, genere videlicet et differentia in specie procreanda coniunctis, naturaliter necessarioquè dimanat ac profluit: ideoque à re subiecta divelli ac separari nullo modo queat. Inter proprium quoq; & accidens hoc interest: quòd proprium primo & præcipue rei vniversæ insit, ac deinde eius individuis accidens contrà primum & precipuè competat rebus singulis, & minus principaliter deinde vniversis. Præterea, quod proprium totam speciem comitetur sitque æqualiter in omnibus eius individuis, quantum ad naturalem attinet facultatem licet in vsu eiusdẽ facultatis pro varietate instrumentorum alij alijs procliviores, sint ad producendũ actum Neq; verò minus risibilem dicimus, quem omnia flevisse ferunt, Heraclitum: quàm ipsum cuncta ridentem Democritum.

Quomodo differt proprium ab accidente non separabili.

Mors, combustio, & eiusmodi non sunt accidentia.

I. Mors, combustio, & interitus omnis, sicuti etiam rerum ortus, nequaquam sunt accidentia, sed substantiales actus: motus videlicet, mutationèsve: ac tanquam viæ nimirum, seu transitus ad ipsum esse vel nõ esse rerũ, circa quas versantur: quæ reducũtur ad prædicamentum substantiæ, quemadmodum accessio & decessio ad quantitatem, quoniam in his cernuntur. Alij concedentes esse accidentia respondent definitionem accidentis non intelligi de privativis, sed de positivis: vel, huiusmodi accidentia non afferre interitum subiecto inhæsionis, de quo intelligitur definitio, sed denominationis tantùm. Quorũ vtrique à volente facilè occurritur, quantumvis rationi primò videatur consentaneum. At mihi profectò non sit verisimile, vt cum privationes Categorijs excludantur, in prædicabilium numero habendæ sint.

Privatio non est prædicabile.

Ad quam quæstionem respondeat

III. Omne prædicabile respondet vel ad quæstionem, { *Quid est*: vt genus & species. *Quale est*: vt, differentia, proprium & accidens.

Quæ

quodque prædicabile.

Quæ verò ad interrogationem *Quale*, aut { Essentialiter: vt, differentia. Accidentaliter: vt, proprium & accidens.

Quæ autem accidentaliter, aut { Reciprocè & necessariò. vt, Proprium. Non reciprocè, neque necessariò. vt, accidens.

n. Proprium enim ex necessitate retrò cùm specie vicissim cõmeat: refutatur quippe proprium, & male assignatum ostenditur, quod cum sua specie reciprocari nequit, hoc autem nulli aliorum prædicabilium contingit, vt propterea refellatur, quia non convertitur. Nam etsi differẽtia constitutiva aliquando convertatur, tamen id nulla fit necessitate: Non enim ex eo refellitur differentia, quod non convertatur.

Solum proprium ex necessitate retro commeat

CAP. IIII.

De Categorijs seu, Prædicamentis.

C*ATEGORIA, est vocum res simplices exprimentium ordinata quædam series.*

Categoria quid.

Sunt autem Categoriæ numero [c] *decem:* { *Substantia. Quãtitas. Qualitas. Collatio.* { *Actio. Passio. Vbi Quãdo.* { *Situs. Habitus.*

Categori[illegible]

Nulla est vox sive singularis, sive communis, [d] *quin in aliqua harum inveniri possit: modo non sit inter novem hæc genera, quæ his versiculis continentur.*

[e] Vox artis, [f] Consignificans, [g] Privatio, [h] Fictum.
[i] Pars [k] Deus, [l] Excedens, [m] Complexum vel [n] Polysemon:
Ista Categoriis haud possunt verba locari.

Novem vocabula eorum quæ locum non habent in prædicamentis.

COMMENT. AD CAP. IIII.

[a]. Prædicamentum dicitur interdum, { QVælibet vox simplex cùm de re aliqua enunciatur. vt, *animal, virtus, candidus.* Genus ipsum summum in quaque categoria, vt substantia, Quantitas, qualitas, & cætera. Series atque ordinatio quædam generum formarum & individuorum, vt classis hæc tota in categoria substantiæ. *Substantia, corpus, corpus compositum, corpus animatum, animal, homo, Socrates.* Itaque hoc loco acceptum & definitum est.

Prædicamentum quot modis dicitur.

[b]. Vocum, inquam, res simplices exprimentium: quia vtrum voces ipsę simplices an coniunctę sint, nihil interest, dum res modò per illas significatę simplices inveniantur.

 [c] Decem

Quatuor tantum rerum genera re & ratione distincta.

c. Decem illa, quæ posuimus, rerum genera seu categoriæ, sive prædicamenta, vel classes, ac series ordinesvè, eiusmodi ab Aristotele, & communiter quidem à Dialecticis enumerari solent: sed quatuor tantùm, videlicet; Substantia, Quantitas, Qualitas, & Vbi; re pariter ac ratione omnino distincta inveniuntur. Reliqua nãque in rerum relationibus magis, quàm rebusmetipsis indicandis perspiciuntur.

Esse in Prædicamento, 2.

d. Bifarium dicitur aliquid esse in Prædicamento: { Per se, suaque vi. / Ratione alterius.

Quicquid ponitur in pluribus prædicamentis omnino & simpliciter, æquivocum est, & multiplex. At non perinde si ratione alterius. Sæpè enim fit, vt aliquod nomen vnivocum propriè & per se in vno collocetur prædicamento, & collatione cum altero ad aliud abstrahatur.

Rursum triplici ratione.

Rursum triplici ratione est aliquid in prædicamento: { Directè, recta nimirum serie, & prædicamentali ordine vt, genera, species, & individua. / Indirectè, sive, à latere vt, differentiæ. / Per reductionem vt, motus,

Vox artis: Cap. 1. Syncategoremata, seu consignificãtia.

e. *Vox artis*, quæ sit anteà diximus.

f. Vocantur autem generatim Syncategoremata, seu Consignificantia, quę neque solidum quippiam significant, nec in oratione nisi cum alijs iuncta consistunt. Quod genus sunt, non declinatæ partes ferè omnes; & ex declinatis interrogativa & partitativa nomina, particularia quoque & vniversalia signa, & quædam etiam pronomina.

Privatio

g. *Privatio*, cum non sit res, sed absentia potius rei; vt tenebræ, foramen, cæcitas, ignorantia oblivio, vmbra; propriè & per se in nulla est categoria: potest tamen ad eam quodammodo referri, ad quam res illa cuius est privatio.

Ficta.

h. *Ficta*, & cõmẽtitia, qualia sunt, Gorgõ, Chymæra, Styx Cerberus, Sphynx, Sirenes, Cyclops, Acherõ, Megæra, Lamia, & similia.

Pars.

i. Pars alia dicitur. { Subiectiva vt homo respectu animalis. / Essentialis: vt materia & forma totius compositi. / Definitiva vt genus & differentia ratione speciei. / Potentialis vt vires & facultates animæ. / Integralis: vt manus, caput pes, quamdiu in corpore inhærent, atque ista sola ex se nihil sibi loci in prædicamentis vendicat attamen cum suo toto in aliquo corũ semper esse intelligitur.

Deus.

k. *Deus*, cùm infinitus sit, definiri non potest: quocirca nec in vna aliqua categoria comprehendi quippe cùm infinitum sub finito contineri nequit. Sub prædicamẽto verò substantiæ eiusque cõplexu, propterea coërceri putandus non est, quod eo etiam quæ in alijs sunt prædicamẽtis de ipsius essẽtia & natura cẽseãtur: sicuti

iustitia,

iuſtitia, miſericordia, charitas & quicquid denique boni dici aut excogitari queat; ſubſtantia tamen omnium perfectiſſima iure optimo haberi debet: quippe cum omnium rerum ſubſiſtentiæ cauſa exiſtat. Atqui ſubſtantia ita conſiderata, definitum aliquod rerum genus ſeu prædicamentum à reliquis diſtinctum & ſeparatum non conſtituit: ſed res quædam immenſa eſt ac infinita.

l. *Excedentia* vel tranſcendentia (ſic enim appellant Dialectici vocabula illa, quorũ ſignificatio incerta eſt & indeterminata) cuiuſmodi ſunt, *ens, res, vnum, aliquid, verum, bonum.* — Excedentia.

Ens bifariam conſideratur: vel pro re ipſa: vel pro conceptione ſeu apprehenſione rei.

Dividitur quadrifariam: primò, per ſe, & per accidens, ſecundò rei, & rationis, tertio per actum, & potentiam: quarto in decem categorias.

Ens ſimpliciter, dicitur ſubſtantia: ſecundum quid vero, accidẽs. Et de illis analogicè prædicatur. Relationes nudę, privationes, negationes, & non entia, dicuntur tamen entia rationis tantum.

m. *Complexum*, vt homo iuſtus, equus niger: quæ non ſub vno aliquo, ſed in diverſis continentur prædicamentis; & proptereà ſignificationem non ſimplicem, ſed coniunctam habent; verum ſi voces tantum ſint coniunctæ, res autem ſub illis comprehenſæ ſimplices: vt, corpus animatum, animal ratione ac mente præditum ſicut pro hominis genere apud Porphyrium ponitur, & id genus aliæ, quibus propriorum nominum ſimplicium penuria laborantes vtimur, non debent à prædicamentis videri alienæ. — Complexum

De his, & ſimilibus exiſtit quæſtio ſubdifficilis: ſintne voces ſimplices, an vero coniunctæ? Nam corpus quidem animatum videtur non eſſe ſimplex, ſicut nec animal ratione præditum, cum ſint definitiones, omnis autem definitio ſit oratio. Contrà, videntur planè voces eſſe ſimplices: quoniam ſunt genera, illud animalis: hoc, ſi Porphyrium in hac re Platonicum ſequimur, hominis. — Quæſtio.

Ad hunc nodum diſſolvendum intelligendum eſt: quod cum formis nomina deſunt, aut differentiæ materialiter, ſive ſubiectivè, ſeu ſuppoſitivè, vt Dialectici loquuntur, conſideratæ ſupplent earũ locum, aut genera ſimul & differentiæ. Ac tum quidem formę ipſę, & definitiones formarum, non ſolùm re, quod ſemper fit, verum etiam voce conveniunt: differunt tamen ratione: nam ſi vtraque dictio ſeorſum in ſua natura propria cõſideretur (ſicuti neceſſe eſt in definitione, vbi altera generis tanquam materiæ, altera differẽtiæ quaſi formæ, vim locumq; obtinet) erunt vox coniuncta: ſin autem coniunctim in eodem tertio ex illis procreato ſpectentur, erunt vox ſimplex re & ſignificatione. Nam licet ſint duo ſeorſum conſiderata, diverſa ſignificantia: coniuncta tamen vnum, idemq; tertium ex illis procreatum denotant: Quod cum nomine vacet, — Solutio.

per

per ipsa ob defectum proprij nominis exprimitur. Corpus itaq;, & animatum, vt sunt genus & differentia, quamvis reipsa idem sint quod corpus animatum, species corporis; ratione tamen tantum differunt, quantum definitio, & res definita differre queant. Idem sentiendum est de corpore composito de corpore simplici, de corpore inanimato; de animali rationis participe apud Porphyrium, & de omnibus denique eiusdem generis passim occurrentibus.

Polysemon.

n. *Polysemon*, quod est variæ, ancipitis, multiplicisque significationis; complectitur homonyma, sive æquivoca, quæ vocantur, omnia: quæ prius quidem, atq; argutè sanè, distinguenda sunt, quàm in categorijs collocetur. His si quis fortè individua addenda proptereà contendat, quod sint infinita; incertum quidem nobis eorum numerum esse, dandum censeo: infinitum vero, nequaquam: quoniam natura non patitur infinitum. Neque vero, si potestate & successione essent infinita, magis deberent à prædicamentis censeri aliena, quàm linea, aut numerus: quorum illa, in infinitum dividatur: hic, in immensum crescat & augeatur.

Individua non sunt infinita.

CAP. V. De Substantia.

Substantia.

Substantia, est res [b] per se consistens, accidentibus subiecta. vt, homo.

Prima. Secunda.

Substantiæ, aliæ sunt
- [c] *Singulæ, quæ vocantur Primæ. vt, substantiarum individua: velut,* Petrus, Ioannes, *&c.*
- [d] *Vniversæ, quæ Secundæ appellantur. vt, singularum species, & genera: veluti, homo, animal, corpus, &c.*

Proprietates

Proprietates 4.
1. *Nulla substantia est [e] in subiecto.*
2. *Nihil est ei [f] contrarium.*
3. *Non admittit [g] magis, & minus.*
4. [h] *Sola autem vim habet ex se fulciendi accidentia.*

	Substantia,	
Corporea,		[i] *Incorporea.*
	Corpus,	
[o] *Compositum,*		[k] *Simplex,*
	Corpus compositum,	
Animatum,		[a] *Inanimum,*
	Corpus animatum,	
Sensum habens,		*Sensu carens,*
	Animal,	
Rationis particeps,		*Rationis expers,*
	Homo,	
Socrates,		*Plato, & singuli homines.*
	Socrates.	

Com-

Comment. ad Cap. V.

ETsi summa ipsa genera, germana ac propria definitione nulla sepiri queant, suis tamen quibusdam cancellis circumscribi possint. Summa genera propriè non definiri.

a. Substantiæ nomen quandoque { Strictè consideratur; vt huic vni conveniat Categoriæ. / Latius; vt ad cuiusque rei naturam atque essentiã se extendat. }

b. Substantia per se, id est, vi sua consistit: ipsa enim se nulla alia re nisa sustentat. Substantiæ nomen duplex.

Cuiusque rei vera ac propria differentia in ea est categoria collocanda, in qua res ipsa cuius est differentia. Differentia in eadem categoria cum specie procreata.

Ac substantiarum quidem differentiæ seorsum in sua natura simplici consideratæ, sunt substantiæ, vt vocantur, incompletæ, & per se in prædicamento substantiæ. Quatenus autem in rebus ex ipsis velut formis aptæ & idoneæ materiæ debito modo cõiunctis, compositis ac procreatis spectantur; sunt substantiarum partes cõstitutivæ ac principales: atque ad hanc classem sicut partes, in tota re concreta referendæ. Hæc autem de veris & proprijssimè dictis differentijs, quæ attribuunt aliquid, conferuntque ad rem constituendam; & positivæ vocitantur; quales sunt, *sensum habens*: *rationis particeps*. Non autem de ijs, quæ à rebus ipsis, quas designãt, aliquid amotum, alienum, & quasi denegatum indicant: ac privativæ vulgò appellantur: cuiusmodi sunt: *sensu carens*, *rationis expers*: Quæ cum non tam rem aliquam, quàm rei alicuius absentiam, ablationem, separationemve denotant; in nulla rerum serie ferè reponuntur; dicta intelliguntur. Substantiarũ differentiæ.

c. Substantiæ singulæ, dicuntur primæ non naturæ ordine, sed ratione & sententia nostra; quia primò sese nobis cognoscendas offerunt, viamque mentis per sensus aperiunt. Substantiæ primæ.

d. Vniversæ autem, dicuntur secundæ, eo quòd secundo quasi loco vi intelligentiæ ex ipsis singulis colliguntur: nihil est enim in intellectu, quod non aliqua via ac ratione ad ipsum sit per sensus profectum. Substantiæ secundæ.

e. Dicitur aliquid inesse in alio octo modis: vt, {
Pars in toto.
Totum in partibus.
In genere species.
Genus in specie.
Forma in materia.
Effectus in causa efficiente.
Effectus in causa finali.
Contentum in continente: sive loco, sive vase, &c. }

Inesse 8. modis.

Hoc

Hoc disticho insignitis:

Insit pars, totum, species, genus, & sua forma
Re: effectus fine, efficiente, locoq; locatum.

Ine^s^e 9. modis. Vel, in tempore (vt quod mensuratur, definitur, & circumscribitur tempore) addito: novem, sic:

Insunt pars, totum, species, genus: efficiente,
Fine, loco subiecto: ac circum tempore, scriptum.

Inesse in subiecto sub inesse in materia. Inesse enim in subiecto, sub inesse in materia hoc loco quodammodo comprehenditur. Quæ duo licet nonnunquam confundantur: sæpè tamen inter se differre, à doctis dignoscuntur. In

Esse in subiecto quid. subiecto autem propriè cum Aristotele id esse dico, quod in re aliqua inest, non tanquam pars nec ab ea seiunctum separatumque consistere queat.

Forma substantialis quomodo in subiecto. Forma substantialis interdum dicitur esse in subiecto, quod sit in materia, quæ subiectum appellatur. In materia autem propterea dicitur, quòd ipsam informet, & tanquam pars altera in re nova procreanda ei adiungatur: eius quippe adventu ac beneficio & res quæque gignitur, & integra conservatur. Quod nulli accidentium tribuatur.

Nihil substantiæ contrariū. f. Nihil est substantiæ contrarium, quoad eius essentiam, licet qualitati alicui ei inhærenti contrarium nonnunquam inveniatur. Vt in igne & aqua est videre: quorum qualitates inter se adversantur. At verò substantia, cum vna sit, eademque numero, vim habet accipiendi contraria. Quod verò Aristoteles dicat, in quolibet genere vnam esse contrarietatem, & principia rerum naturalium esse contraria, intelligendum est;

Contrarietas 3

Contrarietatem in triplici esse differentia: accipitur enim	1. Primò, pro repugnantia duarum differentiarum dividentium aliquod genus: & sic in quolibet genere est contrarietas.
	2. Secundò, pro repugnantia habitus & privationis: atq; isto quidem modo principia naturalia, nempe forma & privatio (nam materiæ nihil est contrarium) à Phisicis dicuntur contraria.
	3. Tertiò propriè, pro repugnantia duarum formarum simul se non admittentium in eodem subiecto. vt, calor & frigus: albor & nigror.

Non admittit magis & minus. g. Substantia, alia aliâ magis ac minus substantiæ nomen obtinet, quia alia aliâ pluribus substat: sed nulla substantia secundùm idipsum, quod suapte natura est, aut magis aut minus sibi vendicat. Nihil enim essentiæ hominis addi potest, vt magis homo sit: nihil demi, vt hominis nomen amittatur. Vna substantia est maior alia propter maiorem in ipsa quantitatem: sed non est

magis

magis substantia : quia ipsa essentia omnibus æquè communicatur.

h. Præter substantiam videntur aliqua fulcire posse accidentia; velut superficies colores, qui in ipsa dicuntur esse tanquam in subiecto. Verùm non ex se, suaque vi; vti subiectum quod, ac principale; cum ipsa quoque innitantur alteri, nempe substantiæ : sine qua nequeunt consistere. Etenim,

Subiectum aliud dicitur

- Subiectum quod, seu principale, sive vltimum, vel vltimatum : quale sola est substantia, cui ipsa accidentia verè insunt.
- Subiectum quo, seu minus principale, sive non vltimum, vel non vltimatum : vt magnitudo sine cuius interventu, principali illi subiecto, ea præsertim quæ corpori adiacent, inesse non possunt. Neque enim quicquam album vel nigrum sine vlla magnitudine esse potest. Non quòd accidens per se ipsum possit sustentare aliud accidens : sed quia vnum accidens inhæret substantiæ mediante alio accidente : vt color corpori, mediante superficie : vnde superficies dicitur esse subiectum coloris, & eo modo potentia animę dicitur esse subiectum virtutis.

Subiectum duplex.

i. Substantia incorporea, seu corporis expers, ea censetur, quæ ab omni materiæ concretione est immunis: vt, spiritus, angelus, animus corpore solutus, & quæ sunt generis eiusdem. Substantia incorporea.

k. Corpus simplex est, quod ex elementis non cõstat. vt ipsa quatuor elementa, terra, aqua, aër, ignis; Orbes cælestes vndecim, Sphæra lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iovis, Saturni, firmamenti, cæli Chrystallini, primi mobilis, cæli Empyrei: & sidera, quæ cælo sunt infixa, omnia. Corpus simplex.

l. Concretum, quod est ex elementis conflatum. Concretum.

m. Animatum corpus, seu vitale dicitur, quod vim habet in se qua alatur, & crescat. Animatum.

n. Inanimum verò, quod aliundè accretionem acquirit. Inanimum.

o. Corpus imperfectè mistum proprium est obiectum Meteorologiæ. Quæ licet secundùm nominis ἔτυμον, ac notationem vocabuli, consideratio sit eorum quæ sublimè fiunt; attamen quæ in ipsis etiam terræ venis atque visceribus generantur, perscrutatur. vnde Meteora; Corpus imperfectè mistum. Meteorologia quid.

Alia

- *Alia*
  - *Aëre, Et quæ, aëre, alia*
    - *Summa, vt*
      - *Cometa*
        - *Caudatus.*
        - *Crinitus.*
        - *Barbatus.*
      - *Stella cadens.*
      - *Dracones.*
      - *Lanceę.*
      - *Sydera volantia.*
      - *Igneæ pyramides.*
      - *Capræ saltantes.*
      - *Torres.*
      - *Clypei.*
      - *Faces.*
      - *Titiones.*
      - *Stipulę.*
      - *Candelę.*
      - *Lāpades*
      - *&c.*
    - *Media, vt*
      - *Fulmen.*
      - *Coruscatio.*
      - *Nubes.*
      - *Pluuia.*
      - *Nix.*
      - *Grando.*
      - *Ventus, &c.*
    - *Infima, vt ignis fatuus, ros, pruina, &c.*
    - *Illius regione generantur.*
  - *Terra fiunt, Terra autem vt terræ motus; Cuius tres species.*
    - *Tremor,*
    - *Pulsus,*
    - *Successio,*
    - *numerantur.*

Ac sola ignea, non autem aërea, aut aquea generantur in suprema aëris regione. Sic dicta ex elemento, cuius naturam præcipuè sortiuntur.

Causa.

- *Causa eiusmodi impressionum.*
  - *Materialis*
    - *Remota; Sunt quatuor elementa.*
    - *Propinqua;*
      - *Vapor.*
      - *Exhalatio.*
  - *Formalis; Species, quam pro materiæ dispositione ipsum refert Meteoron.*
  - *Efficiens;*
    - *Remota,*
      - *Cælum.*
      - *Luna.*
      - *Stellæ.*
      - *Influentię.*
    - *Propinqua: Qualitates primę.*
  - *Finalis: Conseruatio rerum inferiorum.*

Vapor. Vapor, est halitus seu spiritus calidus & humidus ex aqua, vel corpore alioqui misto aquæ naturam participante excitatus.

Exhalatio. Exhalatio, est fumosus spiritus calidus & siccus è terra, vel terreo alioqui corpore efflatus.

Cometa

Cometa est exhalatio copiosa in summa aëris regione incensa aliisque exhalationibus vsque subvectis continenter nutrita. Cometa.

Stella cadens, est exhalatio in summa quôque regione incensa, quæ deorsum vi frigoris depulsa, stellę nobis cadentis repræsentat imaginem. Stella cadens.

Tonitru, est sonus ex nubi laterum cum spiritu intus incluso tumultuante conflictu, aut laterum eiusdem disruptura effectus. Tonitru.

Fulmen est, quod ex exhalatione mediæ regionis in nubem inclusa, ibíque incensa, nubium conflictu concussum, expressumque emittitur. Fulmen.

Coruscatio seu fulgetrum, est exhalatio inflammata leniter è nube eiecta. Coruscatio.

Nubes, est halitus vaporosus in aquam facilè mutabilis. Nubes.

Nebula dicitur, quod ex nube in aquam concreta superfluit. Nebula.

Pluvia, est aquæ de nube concretæ deorsum effluxio. Quæ si leniter decidat, imber; sin procellosè, nimbus vocitatur. Pluvia.

Nix, est nubes, quæ antequam in aquam resolvatur, vi frigoris mediæ regionis constringitur. Nix.

Grando, est nubes in aquam iam conversa, quæ paulatim cadēdo, violentia frigoris congelatur. Grando.

Ventus, est exhalatio calida & sicca neutiquam inflāmata quę à frigore mediæ regionis inferius dispulsa circum terram volutatur. Ventus.

Ecnephias, est ventus violentus ac procellosus. Ecnephias.

Typhon, est ventus orbicus, cuius pars vna alteram impulsura insequitur. Typhon.

Ignis fatuus, est exhalatio crassior incensa, à frigore mediæ regionis ad ima repulsa. Ignis fatuus.

Ros, est vapor ad infimam aëris regionem sublatus; ibíque vi frigoris nocturni in aquam coactus. Ros.

Pruina, est etiam vapor ad infimam quoque aëris regionē subvectus; ibiq; vi frigoris nocturni antequam in aquam concrescat congelatus. Pruina.

Terræmotus, est agitatio terræ, ab exhalatione intus inclusa exitum quærente concitata. Terræmotus.

Fons, est aqua ex visceribus terræ proximè scaturiens. Fons.

Fluvius aqua est, ex visceribus etiam terræ, sed longius profluens. Fluvius.

CAP.

TABULA SUBSTANTIÆ.

- Substantia
  - Completa
    - Corpus
      - Concretum
        - Animatum
          - Animal
            - Homo
              - Socrates,
              - Plato, & singuli homines.
            - Bestia
              - Terrena, vt, Leo.
              - Aquatilis vt, Salmo.
              - Volatilis vt, Aquila.
          - Planta
            - Arbor, vt Pyrus.
            - Frutex, vt, Vepres.
            - Herba: vt, Lactuca.
          - Ζωόφυτα; mediam inter vtrumque sortitum naturam: cuius generis feruntur vrticæ marinæ, spongiæ, &c.
        - Inanimum
          - Perfectum
            - Fossilia.
              - Metalla, vt,
                - Aurum, Ferrum, Cuprum,
                - Argentum, Plumbum, Stannum, &c.
              - Lapides
                - Natura, vt,
                  - Gemma.
                  - Saxum, &c.
                - Arte, vt, Lateres, &c.
            - Fluentia: vt Fons, Fluvius, &c.
          - Imperfectum velut
            - Nix.
            - Grando. Et meteora quæ imperfectè mista dicuntur, omnia.
            - Fulmen.
      - Simplex
        - Elementa quatuor.
        - Orbes cælestes vndecim: Et quæcunque sunt in ipsis cælestia corpora.
    - Spiritus
      - Angelus
        - Michaël.
        - Gabriël.
        - Raphaël.
      - Dæmon
        - Lucifer.
        - Beelzebub.
        - Leviathan.
  - Incompleta
    - Partes substantiarum principaliores: veluti.
      - Materia.
      - Forma.
    - Substantiarum differentiæ.
    - Hominis anima corpore soluta: quæ cum sit pars humanæ naturæ, non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori vnita.

Species vltimæ in sua individua sunt distribuendæ.

CAP. VI.
De quantitate.

Quantitas est, secundùm quam, quot, quantũ ve dicimus, vt, quinq; linea. Quantitas

bipartita est. { [b] *Continuata.* / [c] *Deiuncta.*

[b]. *Continuata est, cuius partes* [d] *communi termino copulatæ, coniunctæ sunt & cohærentes.* Continuata.

Eius quinq; sunt formæ, { *Linea.* / *Superficies.* / *Corpus.* / *Tempus.* / *Locus.*

[e] *Cõmunis autem terminus.* { *Lineæ.* / *Superficiei.* / *Corporis.* / *Temporis.* / *Loci.* } *est* { *Punctum.* / *Linea.* / *Superficies.* / *Nunc, instans.* / *Superficies.*

[e]. *Punctum, est quiddam indiuiduum, quo longitudinem diuidimus.* Punctum.

Linea est magnitudo quæ in sola longitudine cernitur. Linea.

Superficies est magnitudo, quæ in longitudine & latitudine spectatur, omnis expers crassitudinis. Superficies.

[f] *Corpus est magnitudo, quæ longitudinem, latitudinem & crassitudinem complectitur.* Corpus.

[g] *Tempus, est primi motus per successionem numerus.* Tempus.

[h] *Locus, est spatium concaua extremitate corporis alterum ambientis definitum.* Locus.

[c] *Quantitas deiuncta est, cuius partes nullo communi termino coniunguntur; Sed discretæ sunt, ac separatæ.* Quantitas deiuncta.

Huius duæ sunt species { *Numerus.* / *Oratio.* Numerus. Oratio.

[i] *Numerus, est vnitatum multitudo.*

[k] *Oratio, est syllabarum, dictionumq; longitudine ac breuitate metiendarum multitudo.*

Proprietates.

1. *Nulla quantitas* [l] *habet contrarium.*
2. *Nec* [m] *intentionem suscipit, nec remissionem.* Proprietates 3.
3. *Ei autem maximè propriũ est, res ex ea æquales dici, vel inæquales: pares, vel impares.*

	Quantitas,	
Continuata,		Disiuncta,
	Continuata,	
Permanens,		Mobilis.
	Permanens,	
Superficies,		Linea. &c.
	Superficies,	
Concava,		Convexa, &c.
	Concava,	
Hæc,		illa, &c.

Comment. ad Cap. VI.

Alia quantitatis definitio

DEfinitur interdum quantitas, forma accidentalis, qua quicque dividitur. Cùm autem dicimus, qua quicque dividitur, intelligimus divisionem, qua totum integrale in suas partes secatur: quam quidem realem vocant: non qua totum vniversale in sua inferiora diducitur; quæ logica dicitur. Omnis autem eiusmodi divisio fit vel secundum magnitudinem. id est, continuatam, seu coniunctam & cohærentem quantitatem: vel multitudinem, hoc est, discretam, seu disiunctam, & separatam. Nam vt continuata quantitas in tribus illis magnitudinis dimensionibus; longitudine, latitudine, & crassitudine continetur ita discreta in multitudine comprehenditur. Quòd si secundùm magnitudinem divisio fiat, præsertim in ijs quæ positionem & situm partiũ habent, propriè quidem partitio: sin verò secundum multitudinem, enumeratio rectè nominetur.

Continuatio quantitatum

b. Quantitates dicuntur continuari, vel per connexionem partium; vt, linea: extremitas, corpus & locus: vel per successionem; vt, tempus. c. Numerum vero & orationem, quoniam non continuantur: neque connexionem, neque successionem, sed ordinem quendam partiũ, quo prior hæc, illa posterior sit, habere dicimus.

Terminus communis.

d. Terminus dicitur communis, qui duo connectit, quorum vnius extremum est, initiumque alterius. e. In omni quantitate continuata duo sunt actu termini: principium videlicet, & finis: potestate vero, infiniti, quoniam infinitis vicibus dividatur. Neque vero quantitates istæ coniunctæ conflantur, & coagmentantur ex his terminis: neque dividi possũt in ipsos: neque sunt termini illi partes istarum quantitatum, sed accidentia tantùm. Nam punctum non est pars lineæ, nec linea extremitatis, nec extremitas corporis: neque linea componitur ex punctis, neque superficies ex lineis, neque corpus ex superficiebus: neque sanè linea dividitur in puncta, sed per pũncta, in alias lineas semper: neque semper superficies in lineas, sed per lineas in alias superficies semper

Termini non sunt partes quantitatis. Arist. Phys. li. 3. c. 1. li. 4. c. 12. li. 6. c. 1. De ortu & interitu lib. 1. cap. 2. De cœlo, li. 1. cap. 1.

per: neque profectò corpus in superficies, sed per superficies in alia corpora semper. Etenim in omni linea sunt infinitæ lineæ potentia, & in omni extremitate infinitæ extremitates, & in omni corpore, infinita corpora: nunquam enim dividendo pervenitur vel ad minimam lineam, vel ad minimam extremitatem, vel ad minimum corpus. Omnis quippe quantitas continuata est divisibilis in semper divisibilia: vnde nunquam invenitur minimum. Terminus igitur, dicitur initium, & extremum alicuius quantitatis; non quod sit pars, aut aliquid eius: verùm initium dicitur, quod ibi quãtitas incipiat: extremum, quod ibi desinat. Quamvis autem punctum non sit quantitas, nec pars quantitatis alicuius, ad hanc tamen categoriã refertur, quod sit terminus lineæ: Nec solùm punctum, verum omnis terminus indivisibilis est, vel simpliciter, sic vt nullo modo dividi possit, veluti punctum, instans, &c: vel secundũ quid, quod licet aliquo modo dividi possit: attamen non potest dividi secundum eam dimensionem, qua est terminus. v. g. linea est terminus superficiei; nec potest dividi secundum latitudinem, cuius est terminus. similiter superficies corporis secundũ crassitudinem.

Terminus dicitur initium & finis quãtatione,

Corporis nomine trifariam vtimur.
- Primò, pro altera parte rei animatæ. vt quãdo dicimus hominem constare ex animo & corpore.
- Secundò, pro genere animalis. Atque his duobus modis acceptum spectat ad substantiam.
- Tertiò, pro trina dimẽsione, scilicet longitudine, latitudine, & crassitudine: atque ita ad hunc locum pertinet: & est planè Mathematicum, in quo sola spectatur magnitudo ab omni materia abstracta: id quod fieri cogitatione tantùm potest: quemodo lineã carere latitudine, & superficiem crassitudine (quod reipsa fieri nequit) intelligimus.

g. Quamquam & tempore motum, & motu etiam tempus mensuramus: hoc tamen loco tempus cõsideratur, non vt mensurat sed vt mensuratur Ideoq; non numerus numerãs, & discretũ: sed numerus numeratus, & cõtinuũ habetur. Cuius partes licet nullę maneant, attamen successione sunt: quod ad temporis naturam constituendam sufficit.

DE LOCO.

De loco.

h. DIFFICILE quidem explicatu est, quid sit locus: superficiesne corporis ambientis, vt Aristoteles ponit: an verò spacium corpore occupatum, vt Philoponus contendit. vtrumque sanè probabiliter dicitur, sed miras difficultates habet. Nam si concavam

 superfici-

Aristotelis opinio

superficiem, cum Aristotele dixerimus: certè, cùm loco conueniat, corpore occupari, atque repleri; nec vllam pati rem corporatam expertem sui: sed vnicuique prorsus, tanquam mensuræ eius, vndique adæquari; imò ipsum verè ac propriè loquendo in se penitus insidens continere: eoq; manente, non dimoveri: nec à vacuo aliter quàm præsentia corporis distingui: denique vt ipsum mutans transeat distantiam: eadem professò omnia pari quoque ratione & superficiei convenire oportet. Quod tamen minimè fieri, inde apparet: Primùm quoniam in superficie crassitudine carente corpus trinam habens dimensionem inesse quidem ac cōtineri nequit: Nam iuxta locati crassitudinem necesse est esse profundū locum quippe qui totum contentum, vt in se est, mensurare, omnique ex parte adæquare debet. Deinde quòd ipsa vniversitas, orbisque cælestis extimus, quamvis nullam habeant concavam superficiem circumdantem, sunt tamen in loco: quippe quæ & corpora sunt & localiter (quod absque loco fieri nequit) moveri dignoscuntur. Tum, quia superficies concava, corpore contento, fixo ac stabili permanente, frequens transfertur aliò ad motum corporis circumeuntis, cui, vt accidens in subiecto inhæret: nam moto subiecto moventur simul & ea quæ in ipso insunt accidētia. Præterea, quia non suspicamur, vacuum, esse superficiem. Nā cùm reipsa non sit, sed cogitatione tantùm fingitur: volentes mente comprehendere, quid esset vacuum: effingimus nobis non superficiem quidem, sed capacitatem quandam ab omni corpore desertam, nudam, destitutam, quam putamus vacuam. Postremò, quoniam mutando superficiem nullus fit progressus, nulla intercapedo, aut transitio distantiæ: Nam cùm extremitates illæ, altæ, crassæ, seu profundæ non existant: indivisibiles planè sunt secundùm illam dimensionem: & quantumcunque cumulentur, nihil inde accrescit intervalli: quemadmodum ex punctis infinitis vicibus coagmentatis nulla producitur quantitas: quod tamen de loco dici propter gravissima incommoda absurdum foret: non est igitur superficies locus. Hæc est sexcenta eiusmodi incommoda eorum qui locum ponunt superficiem, sequuntur opinionem. Nec altera Philoponi (quamvis plurimas evitet) opinio, suis omnino difficultatibus caret: duplici quippe ratione impugnatur. Vna, quod si intervallū esset, locus loca essent infinita. Nā cùm singulæ partes aquæ, exempli gratia, quæ est in vase, penetrētur ab illo intervallo, & sint partes infinitæ: singulæ vicissim penetrabunt, & habebunt sua loca infinita, quæ erant partes intervalli infinitę. Altera, si intervallum esset locus, locus per se moveretur ad locum, & loci esset locus: imò plura essent eiusdem loca æqualia simul. Quia dum aggregatum ex vase & aqua movebitur loco, movebitur etiam illud intervallum, & recipietur in alium locum, & aliud in-

Opinio Philoponi

tervallum : atque ita loci erit locus. Ad quarum priorem respondⅇri potest: non fieri eiusmodi partium vtriusq; penetrationem mutuam: qua corpora infinita, locaq; procreentur: sed partes omnes in suo toto continuatas, & vnitas ita permanere, vt verum corpus vnicum occupet locum. Talis enim penetratio id demum efficeret: si vtriusq; dimensiones corporeæ essent. Nunc autem dimensiones loci non sunt corporeæ, reales, Physicæ: verùm intentionales, notionales, intellectuales, mathematicæ: tamen nullũ operantur effectũ. Id quod in dimẽsionibus longitudinis & latitudinis, quæ simul esse, seseq; mutuò penetrare possunt, perspicuũ est. Quẽadmodũ in superficiei cõcava corporis cõtinẽtis, & convexa contenti, quæ sẽper simul promiscuè consistunt, est videre. Ad posteriorem verò, nequaquã ex eo quòd locus ponatur intervallũ, sequi, locum per se ad locum moveri: aut plura eiusdem loca æqualia simul existere. Moveri autẽ intervallum ad motum corporis ambientis, ac loci deniq; locũ esse: perinde se in superficie, & intervallo habent: neq; hoc magis quàm illam oppugnant. Etenim angustiora loca, sive superficies, sive intervalla, amplioribus obsideri, omniaq; ambitu & cõplexu vniversi (suo tamen quicq; modo) coërceri, cõsentaneũ est. Ac spatiũ quidem hoc, seu intervallũ, capacitásve, sive intercapedo, extẽsio quedã est quãtitatis propria: ita eã sequẽs, quẽadmodũ motũ tẽpus cõsequitur. Sicut enim in quantitate successiva se habet tẽpus ad motũ, ipsũ mẽsurãs: ita in permanẽte quãtitate se habet spaciũ ad ipsã quãtitatẽ: à qua, vtrũ realiter, formaliter, an ratione distinguatur, non magnoperé refert: quidlibet enim probabile est nec quid probabilius, verisimiliúsve dicatur, est hic nobis cõstitutus ad disputãdũ locus. Eademq; planè difficultas invenitur in tempore & motu. Non est autem separatum, vt Philoponus ponebat, sed in rebus ipsis, tanquam accidens, inhærens in subiecto. — *Spaciũ quid.*

Ad hæc, quæ hactenus, concilianda; distinctioné opus est, quam constituimus ad hunc modum: — *Conciliatio dictorum*

Locus alius est — *Locus duplex*
- 1 Fictus. vtpote extra cælum, vel in vacuo.
- 2 Verus, isq; duplex, vel
  - 1 Intrinsecus: nempe spacium corpore occupatum, speculatione Mathematica.
  - 2 Extrinsecus concava scilicet superficies corporis alterum circumplectentis; consideratione Physica.

Atqui verò locus propriissimè consideratus vtrumq; respicit, & spacium videlicet, & extremitatem. Propterea definimus: spatium, extremitate definitũ quod intelligẽdũ est, quoad eius fieri potest. hoc est, donec perveniatur ad supremã & vltimã sphęrã, quę nõ habet exterius corpus, aut ambientẽ superficiẽ. Idq; eo animo, ac libẽtius, fecimus, quòd vtrãq; opinionem quodãmodo sequuti; Mathe- — *Locus propriè consideratus*

 matici

matici tamen magis in quantitatis prædicamento, vti par erat, quam Physici esse voluerimus. Neq; de mente Aristotelis dubitari po est: cùm & locum identidem enumeret speciem continuatæ quantitatis, eiusque terminum constituat superficiem quin diverse loquendo, variè intueatur, seu ratione divisionis ac mesuræ seu alio quovis modo.

Locus duplex. Iterum locus alius est, { Proprius; vnius corporis. Communis, complurium.

Locus triplex. Rursum alius { Naturalis quem natura designat. Spontaneus qui suapte petitur. Violentus: in quem quid vi truditur.

Locus duplex. Postremò alius dicitur. { Partialis in quo res esse dicitur respectu suæ partis, vt, cum homines dicuntur esse in terra vel tecto, quod pedibus solùm tangunt. Totalis in quo quid inest secundùm se totum. vt piscis in aqua qua vndique circumfunditur.

In loco dup. In loco item dicitur aliquid vel { Per se vt, corpus. Ratione alterius. vt, anima: & quæ in subiectis insunt accidētia.

In loco trip. Adhuc, vel { Circumscriptivè. vt, corpora. Definitivè vt, spiritus. Repletivè. vt, Deus.

Loci differētiæ. Denique, sex sunt loci differentiæ: Suprà. Dextra. Antè. Infrà. Sinistrà. Post.

Atque hæc de Loco

Vacuum quid. Vacuum est spatiū non repletum corpore, aptum tamē repleri.

Vacuum duplex. Vacuum dicitur interdum { Non occupatum denso & concreto aliquo corpore vtpote vas effuso omni liquore, aereq; solo repletum. Ac tale vacuum facilè invenitur. Nullo omnino corpore, neq; crasso, neque tenui repletum Quale quidem natura non patitur qua ita comparatum est, vt semper corpora subtiliora cedant, succedantque spissioribus.

Infinitum quid. Infinitum est, cui semper aliquid addi, vel demi possit. Aut, cui semper accessio, decessióve fiat.

Bifariam consideratur. Bifariam consideratur, vel { Negativè, quod nullo modo finiri possit. Privativè: quod non finitur.

Infinitas quibus cernitur. Infinitas autē, seu infinitio cernitur, vel { Addendo tantùm, vt in multitudine. Adimendo tantùm. vt in magnitudine stabili ac permanente. Vtroque pariter, vt in labentibus & fluxis: veluti tempore, & motu.

Et quoniam infinitum partim est, partim non est: in ratione rerum, potestate esse, haud actu, dicitur.

Vt

Vt magnitudo itaque perpetuo minui, ita multitudo semper augeri potest. hic maximum, illic minimum ignoramus At vero magnitudo maxima, est supremus orbis cælestis, multitudo minima, binarius numerus. *Magnitudo, Multitudo.*

Tempus auté & Motus, vtroque (vt diximus) modo sunt infinita. *Tempus Motus*

Numerus

i. Numerus alius dicitur.
- Numerans, quo res nimirum quasque numeramus, vt quinque, decem, centum: qui vnius Quantitatis cōplexu coërcetur.
- Numeratus. Res quęq; vid. numeratę, vt duo homines, tres lineę. 4. virtutes, quinq; filij, &c. qui per omnia prædicamenta diffunditur.

Iterum alius *(Iterum triplex)*
- Simplex
  - Cardinalis: vt, tria, quatuor, quinque, &c.
  - Distributivus: vt bini, terni quaterni, &c.
- collatus
  - Ordinalis: vt, primus, secundus, tertius, quartus, &c
  - Multiplicativus: vt, simplex, duplex, triplex, quadruplex, &c.
- Figuratus. vt trigonus, tetragonus, &c.

Rursum alius *(Rursum duplex)*
- Par, qui in duas æquales partes cōsumatur. vt, duo, quatuor, sex, octo.
- Impar, qui in duas partes æquales nequaquam consumatur. vt, tria, quinque, septem, novem.

Oratio *(Oratio triplex)*
- Mente cogitata quæ cùm dispositio quædam intellectus sit, ad primam qualitatis speciem refertur.
- Voce prolata
  - Quatenus syllaba brevi longaque, quæ diversas habent temporum mensuras, ponderatur est Quantitas.
  - k. Quatenus autem sensui passionem infert; in tertia Qualitatis specie collocatur.
- Scripta autem
  - Si caracterum formationem ac figurationem spectemus: in quarta specie qualitatis reponitur.
  - Sin vero chartam ipsam, & atramentum consideremus erit substantia.

l Magnum & parvum, multum & paucum, non sunt contraria, sed collata: Neque nox & dies, sed privantia. *Magnum & parvum*

Oratio orationi non adversatur; sed veritas & falsitas, quæ oratione explicantur, mutuo adversantur: Si enim vera ac falsa oratio, quatenus orationes sunt, essent contrariæ: eadem profecto oratio, sine vlla sui mutatione sibi esset contraria: cum eadem permanens, nunc vera nunc falsa sit: prout res ei subiectæ se habent. Hoc quo melius intelligatur, sciendum est, *Oratio vera & falsa*

Veritatem & falsitatem esse in *(Veritas & falsitas quibus insunt)*
- Intellectu, vt in subiecto.
- Rebus orationi subiectis, vt in causa.
- Oratione, vt in signo tantum.

Maior quantitas non est magis quantitas.

m. Vna quantitas est maior quantitas aliâ, sed nón magis, vt de substantia dictum est: quia quantitatis naturam singulæ quãtitates æqualiter participant: quamvis ex accidente linea vna magis minusve longa aut brevis quàm alia dicatur: nimirum quod magis vel minus extendatur: non quòd longior sit magis linea quàm brevior, aut contrà.

Huc relata:

Referuntur ad hunc ordinem omnia magnitudinis, numerorũ, ponderum, & mensurarum nomina.

Magnitudines.

Magnitudinis, vt, longitudo, latitudo, crassitudo, altitudo, cubitum, vlna, passus, stadium, milliare, & similia

Pondera.

Ponderum, vt quadrans, mina, pondo, talentum, & eiusmodi.

Mensuræ.

Mensurarum, vt, hemina, sextarius, amphora, modius & quæ sunt de genere eodem.

Numeri.

Numerorum, vt, quinque, sex decem, viginti, triginta, quadraginta centum, sexcenta, mille, decem millia, & quæ sunt generis eiusdem.

TABVLA QVANTITATIS.

- *Quantitas*
  - *Cõtinua.*
    - *Permanens*
      - *Linea*
        - *Recta: vt, vlna*
        - *Incurva: vt, arcus*
      - *Superficies.*
        - *Plana: vt, area*
        - *Flexuosa: vt, testudo, Atq; illa*
          - *Concava: quæ est interior.*
          - *Covexa: quæ est exterior.*
      - *Corpus*
        - *Rotundum vt, pila*
        - *Angulatum: vt, tessara:*
      - *Locus*
        - *Proprius*
        - *Communis*
          - *Naturalis*
          - *Spontaneus*
          - *Violentus*
    - *Mobilis: vt, tempus*
      - *Præteritum*
      - *Instans*
      - *Futurum*
  - *Discreta*
    - *Numerus*
      - *Simplex*
        - *Par: vt, binarius, quaternarius*
        - *Impar. vt, ternarius, septenarius*
      - *Collatus: vt duplus, triplus*
      - *Figuratus: vt, trigonus, tetragonus*
    - *Oratio*
      - *Grammatica*
      - *Dialectica*
      - *Rhetorica*
        - *Soluta*
        - *Astricta*

Species vltimæ in individua secantur.

Dicitur aliquid bifariam quantũ; vel

Per se: vt ipsa quantitas. Lineâ quippe & quantitas est, & quãta atq; hoc quantitati peculiare est, vt de suis formis tã in concreto quã abstracto prædicetur, cuius ratio hæc redditur quòd ipsa illis idem tribuat quod suo subiecto; constare videlicet partibus integralibus. vnde sicut verè dicitur lignũ quantum ita & linea. neq; hic quantum est concretum accidentale, sed essentiale: cum illa sit essentialis prædicatio; Linea est quanta; sicuti ista; Linea est quantitas, diciturq; synonymus quoad rem; paronymus verò quoad modum tantùm.

Per accidens. vt ipsum quantitatis subiectum. v. g. homo, lignũ, & eiusmodi quæ à quantitate quanta nominantur.

CAP. VII.

De Qualitate.

Qualitas, est forma accidentalis, ex qua res qualis nominatur. vt à fortitudine, fortis. Qualitas quid.

Eius species.

Eius quatuor sunt species:	*Habitus,*	*cui attribuitur*	*Affectio.*
	Potentia,		*Impotentia.*
	Qualitas patibilis,		*Perturbatio.*
	Forma,		*Figura.*

[b] *Habitus, est qualitas constans atq; perfecta: non natura data, sed vel agendi consuetudine & exercitatione longa comparata: aut diuinitùs infusa. vt, scientia, virtus.* Habitus.

[c] *Affectio, est dispositio siue inclinatio ad id, ex quo habitus nascatur. vt, studium, auiditas, desiderium discendi aut agendi aliquid.* Affectio.

[d] *Potentia, est facultas quædam naturæ ingenita, vel Dei munere accepta, qua quid meliùs possumus. vt, ingenium, memoria, sensus, bona valetudo, robur, docilitas.* Potentia.

Impotentia, est quædam imbecillitas, qua quid minùs efficere valeamus. vt, tarditas ingenij, stupor sensuum, hæsitantia linguæ, indocilitas, infirma valetudo. Impotentia.

[e] *Qualitas patibilis, est stabilis ac permanens, [f] sensui subiecta. vt, cãdor, dulcedo, fœtor, sonus, frigus.* Qualitas patibilis.

[g] *Perturbatio est subita animi vel corporis commotio. vt, pallor ex metu, rubor ex pudore natus: lætitia, cupiditas, ægritudo, metus.* Perturbatio.

[h] *Forma, est qualitas ex multitudinis aliqua proportione nata.* Forma.

[i] *Figura, ex magnitudinis descriptione oritur.* Figura.

Proprietates. 3.

1. *Qualitas habet contrarium: sed non omnis. Nihil est enim triangulo, quadrato, circulo, cæterisq; figuris contrarium. quin & colores medij: itemq; sapores atq; odores etiam intermedij contrario carent.*
2. [k] *Qualia intenduntur ac remittũtur, at non omnia. Nõ enim quæ à figura nomen ducunt intendi ac remitti possunt.*
3. *Proprium est Qualitati vniuersæ, & soli, ex ea simile aliquid, aut dissimile dici.*

Similitudo, est rerum diuersarum eadem qualitas. Similitudo.
Similia sunt, quæ eadem imbuuntur qualitate. Similia.
Dissimilia verò, quæ diuersis. Dissimilia.

Com-

Comment. ad Cap. VII.

COMMVNITATEM & vniversitatem rei alicuius: vt cùm ab Aristotele dicitur: secūdę substantiæ videntur illæ quidem hoc quippiam significare cùm dicitur, homo, vel animal: Non tamen id verum est, sed qualitatem potius significant.

Qualitas varia notat.

a. Qualitas notat quandoque

Modum prædicandi; vt id omne qualitatis nomen sortiatur, quod respondet ad interrogationem, qua quale quicque sit, quæritur.

Formam accidentalem, sive insitam & innatam: sive adventitiam, & assumptam: quo modo hoc in loco consideratur. Cùm ea sola rem propriè & absolutè qualem denominat: Cætera verò non adeò simpliciter; sed cum adiectione tacita vel expressa: veluti, qualiter quantam; qualiter agentem, patientem, sitam, & similiter.

b. Nomine habitus designatur interdum

Prima species Qualitatis. vt in præsenti loco.
Principium, videlicet ad bene vel male operandum.
Vltima Categoria.
Potentia, & quicquid privationi est oppositum.
Principium simpliciter ad operandum.

Differt itaque habitus à potentia naturali; quod ille afficiat subiectū ad bene vel male operādū: hęc vero simpliciter ad operādū. Ac licet naturę quidē ordine potētia naturalis pręcedat habitū at perfectionis tamen ordine habitus præcedit naturalē potentiā.

Habitus in homine quomodo dicatur naturalis.

Nullo modo contingit in hominibus esse habitus naturales, ita quod sint totaliter à natura: licet in Angelis cōtingat: eo quod habent species intelligibiles naturaliter inditas: quod non competit humanæ naturæ. Sunt autem in hominibus aliqui habitus naturales tanquam partim à natura existentes, & partim ab exteriore principio: aliter tamen in apprehensivi potentijs, & aliter in appetitivis. Sunt enim in animæ apprehensivis potentijs aliqui habitus & secundùm naturam speciei, & individui naturales secundū quandam illorum in anima inchoationem quoad ipsam substantiam actus: in viribus vero appetitivis non sunt ex parte animæ naturales quoad habitus substantiam, nisi secundùm quædam principia communia: sed ex parte corporis ex ipsa natura individui sunt aliqui habitus naturales inchoati secundum substantiam.

Intellectus principiorū.

Intellectus principiorum, dicitur esse habitus naturalis, ex ipsa enim natura animæ intellectualis convenit homini, quòd statim cognito, quid est totum, & quid pars; cognoscat, quòd omne totum est maius sua parte, itemque in cæteris.

c. Affectio,

c. Affectio, est quasi via ac ratio procreandi habitum, diuturnitate tantum ac stabilitate ab eo distans. Nam quæ permanentia & inveterata sunt, ea ad habitum referuntur: quæ vero modica, inchoata, atque recentia, sub affectione intelliguntur. *Differentia habitus & affectionis.*

Definitiones virtutum, ex Aristotele & Cicerone potissimùm depromptæ.

Theologia, est scientia, qua fides de Deo, quæ ad beatitudinem perducit, gignitur, nutritur, defenditur, ac roboratur. Augustinus. *Theologia.*

Intelligentia, est habitus principiorum, ex quibus progreditur demonstratio. *Intelligentia.*

Scientia, est habitus conclusionum, quæ demonstratione docentur. *Scientia.*

Sapientia, est scientia & intelligentia eorum quæ maximo sunt in honore & pretio. *Sapientia.*

Prudentia, est habitus activus circa ea quæ humanæ vitæ prosint, vel obsint. vel, *Prudentia.*

Prudentia, est virtus quæ in perspicientia rerum, delectuq; versata; honesta quæque amplectenda monet, vitandáque contraria.

Ars, est habitus circa ea quæ aliter se habere possunt vera cum ratione effectivus. *Ars.*

Virtus moralis, est habitus animi iudicio susceptus in mediocritate positus ea, quæ nos attingit, ratione sic rectus vt prudens præscripserit. vel, *Virtus moralis.*

Virtus est affectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa per se sua sponte, separata etiam vtilitate, laudabilis. Cicero.

Fortitudo, est medocritas earum rerum, quæ hominibus vel fiduciam præbent, vel terrorem adferunt. vel, *Fortitudo.*

Fortitudo est virtus, quæ in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore cernitur. Cicero.

Vir fortis is est, qui morte honesta proposita, ijsq; omnibus quæ mortem adferunt, cùm repentè appropinquant, metu vacat. *Vir fortis.*

Temperantia, est voluptatum, tristitiarumque gustus tactusque mediocritas Vel, *Temperãtia.*

Temperantia est virtus, quæ in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur ordine & mòdo percipitur. Cicero.

Eius species sunt Abstinentia. Sobrietas. Pudicitia. Castitas. Continentia. Cic. *Tẽperantiæ species.*

Liberalitas, est in largiendis accipiendisque pecunijs recta ratione definita mediocritas. *Liberalitas.*

Magnificentia, est circa sumptuum magnitudinem recta ratione servata mediocritas. *Magnificentia.*

Mag-

Magnitudo animi

Magnitudo animi, est virtus, qua (cùm ea magnis honoribus digna sit)honorem,aut inhonorationem,fortunam tum prosperã, tum adversam moderatè ferre possimus.

Modestia

Modestia,est circa mediocres honores laudabilis mediocritas.

Mansuetudo

Mansuetudo,est circa iram laudabilis mediocritas.

Affabilitas

Affabilitas,est circa humanarum congressionum voluptates atque tristitias,cum sine dilectione, affectúve fit, laudata mediocritas.

Veritas

Veritas,est virtus,qua quis,qualis ipse sit,cùm verbis,tum factis palàm ostendit.

Comitas.

Comitas,est in loco & dicendo,& audiendo quę oportet,laudabilis mediocritas.

Iustitia.

Iustitia, est virtus,qua homines apti sunt ad res iustas gerendas, quiq; res iustas faciunt,& cupiunt facere.vel,

Iustitia est virtus,quæ in hominum societate tuenda,tribuendoque suum cuique,& rerum contractarum fide versatur. Cic.

Amicitia.

Amicitia est mutua aliquorum benevolentia,cùm eos non lateat,& alicuius quidem boni gratia.vel,

Amicitia,est divinarum humanarumq; rerum cum benevolentia & charitate summa consensio.Cic.

Beatitudo.

Finis denique quem omnes virtutes spectant,& ad quem omnia omnino referuntur: ipsa est felicitas ac beatitudo, duplici genere constituta.

Activa.

Altera
- Activa: quæ est actio animi virtuti consentanea in vita vndique perfecta.
- Contemplativa.
  - Inchoata quidem in hac vita, revocando mẽtem à sensibus, & in altissimarum rerũ cogitatione defigendo
  - Perfecta verò in futura,clara Dei visione,omniũ desideriorũ secura possessione cumulata.

Contemplativa. Perfecta Inchoata.

Sed quoniam beata vita in actione quadam omnis consistit(nam & ipsa contemplatio actio quædam est) & quæque actio vt plurimum habet iucunditatis,ita censetur perfectissima: vt summè profecto expetenda:ita longè perfectissima, ac iucundissima esse debet: Haud prætereundum igitur dicere, quidnam ipsa sit voluptas: quæ cum summo bono sic coniuncta & copulata est; vt ab eo nec separari vnquam,nec divelli certè,aut distrahi possit.

Contemplatio actio quædam est Voluptas.

Voluptas, itaque,est naturæ delectatio, ex proclivi actione sibi congruente percepta.

TABVLA HABITVS,
primæ speciei Qualitatis.



- *Potentia*
  - *Animæ*
    - *Natura ingenita.*
      - *Vegetandi,*
        - *Appetendi.*
        - *Attrahendi.*
        - *Retinendi.*
        - *Digerendi.*
        - *Expellendi.*
        - *Nutriendi.*
        - *Augmentandi.*
        - *Generandi.*
        - *Quarum quinque* — *Appetendi. Attrahendi, Retinendi, Digerendi, Expellendi, reliquis tribus subservientes, adminicula vocantur.*
      - *Movendi.*
        - *Dilatandi ac restringendi.*
        - *Reptandi.*
        - *Natandi.*
        - *Ambulandi.*
        - *Volandi &c.*
      - *Sentiendi*
        - Exterior, — *Aspectus, Auditus, Odoratus, Gustus, Tactus.* *Quorum organa sunt:* *Oculi. Aures. Nares. Lingua. Nervus tactivus.*
        - *Interior,* — *Sensus communis. Phantasia, seu imaginativa. Æstimativa, sive cogitativa. Memoria.*
      - *Appetẽdi.*
        - *Secũdum sensum,*
          - *Cõcupiscendi,* — *Expetendi, fugiendi. Gaudendi contristandi. Amãdi odio prosequendi.*
          - *Irascendi.* — *Sperandi desperandi. Audendi timendi. Irascendi.*
          - Prosequitur, tristatur, amat, cupiens appetitus: At irascibilis sperat, irascitur, audet.
        - *Secũdum intellectum* — *Volendi. Eligendi.*
      - *Intelli-gendi.* *Est autẽ intellectus, vel*
        - *Agens.*
        - *Possibilis.*
        - *Practicus, Speculativus in quibus.* — *Synderesis, Ratio, Conscientia.* *Cõtinetur.*
    - *Dei munere accepta ut,* *Gratia sanitatum. Operatio virtutum.*
  - *Corporis*
    - *Natura indita, ut,* — *Durities Adamantis. Vis Magnetis attrahendi ferrum. Bona valetudo.*
    - *A Deo data, ut,* — *Fortitudo Samsonis. Impassibilitas Beatorum, & trium puerorum,* *Sidrachi, Misachi, Abdenagonis, in fornace.*

Sensus cognoscit singularia tantum, intellectus verò singularia pariter & universalia: ac intelligere quidem cum quispiam voluerit, in ipso est situm: sentire autem cum voluerit, non est in ipso positum.

e. Patibiles qualitates vocantur non ob eam causam quòd ipsæ, aut ea in quibus insunt subiecta aliquid patiantur. verùm ex eo patibiles dicuntur, quòd vel à perturbatione motionéque ac passione aliqua nascantur, vel sensibus immutationem, & passionem aliquam inferant, ut lem illam quidem ac salutarem si cõvenienter; nocentem verò, & infestam, si præter modum fuerint adhibitæ.

Qua-

Qualitates patibiles, quæ sensuum obiecta appellantur, sunt quinque

[C]olor, [S]onus, [O]dor, [S]apor, Qualitas [t]angibilis — Quæ percipiuntur quinque sensibus:
- Aspectu — Oculis
- Auditu, Organis, — Auribus
- Odoratu, seu instru. — Naribus
- Gustatu, mentis, — Lingua atque palato.
- Tactu, — Nervo tactivo.

Per media:
- Corpus perspicuum, vt pote — Aërem. Aquam. Gemmas. Vitrum.
- Aërem, aquam.
- Aërem, aquam.
- Humorem salivosum.
- Carnem, cutem.

Alij cōstituūt organū
- Visus, pupillam oculi seu nervum opticum.
- Auditus, aërem insitum seu connaturalem.
- Olfactus, carunculas duas porosas sub cerebro.
  - Mediū: Aërē. Aquā.
- Gustus, nervum extensum in lingua & palato.
  - Medium: Linguam. Palatum.
- Tactus, nervum sub cute & carne per totum corpus expansum.
  - Medium: Carnem. Cutem.

Atque ita videmus medium aliud
- Internum, quod est pars animalis: vt, Lingua. Palatum. Caro. Cutis.
- Externum, quod non est pars animalis: vt, Aër. Aqua.

Qualitas alia est,
- Aliena à sensibus. vt, habitus, dispositio, potentia, impotentia, omnesque animi perturbationes.
- Sensui subiecta, vel
  - Per se: vt, Qualitas patibilis, & passiones corporis.
  - Per aliud: vt, Forma & figura respectu earundem: quemadmodum formositas & deformitas ratione colorum.

Obiectum autē aliud dicitur.
- Proprium vnius sensus, quod vno tantum sensu percipitur. vt, color, sonus, & reliquæ patibiles qualitates corporis.
- Commune plurium, quod pluribus sensibus percipiatur. vt, motus, quies, numerus, figura, magnitudo.

Obiectum.

Est igitur patibilis qualitas fixa in subiecto, vnico sensu exteriori percepta: cui & perturbatio animo inhærens, nulli licet sensui subiecta, in cæteris comparatur.

Qualitas tangibilis,
- Prima. Calor. Frigus. Humor. Siccitas.
- Secunda, vt reliquæ, quæ sub tactum cadunt.

Omnis sensus habet vnum aliquod obiectum adæquatum, vt loquun-

Obiectum adæquatum

quuntur, id est, quod æquè latè patet, quam ipse sensus, præter tactum. Nam etsi color non videatur obiectum adæquatum visus, quia lux, lumen & splendor sub hunc etiam sensum cadunt: certè in colore hæc tria intelliguntur. Quapropter omne corpus quod sub aspectum cadit, sive lucidum à luce, perspicuum à lumine, opacum a colore, tersum à splendore, sive diaphanum aut transparens dicatur: censetur esse coloratum.

Aliquid in diversis prædicamentis: & diversis eiusdem categoriæ formis.

Quemadmodum non est absurdum vnam eandemq; rem alio atq; alio modo consideratam in diversis poni prædicamentis, ita nec in diversis eiusdem categoriæ formis. Durum quippe & molle quatenus ad resistendum & cedendum apta intelliguntur, in secūda qualitatis specie reponuntur: quatenus verò sub tangendi sensum cadunt, in tertia specie collocantur. Itemque bona valetudo, si facultatem ad agendum respicimus, est potentia: sin verò ipsam corporis constitutionem consideremus, habitus.

Perturbationum genera quatuor

g Quatuor sunt perturbationum genera,
- *Ex bonis opinatis duo:*
  - *Libido, quæ est opinio venturi boni.*
  - *Lætitia, quæ est opinio recens boni præsentis*
- *Ex malis opinatis duo*
  - *Metus, quæ est opinio impēdētis mali.*
  - *Aegritudo, quæ est opinio recens mali præsentis.*

Libidini subijciuntur, Ira, Excandescentia, Odium, Inimicitia, Discordia, Indigentia, & eiusmodi.

Voluptati sive lætitiæ, Malevolentia, Lætans malo alieno, Delectatio, iactatio, & similia.

Sub metum cadunt, Pigritia Pudor. Terror, Timor, Pavor, Exanimatio, Conturbatio, Formido & huiusmodi.

Sub ęgritudinem, Invidentia, Emulatio, Obtrectatio, Misericordia, Angor, Luctus, Mœror, Aerumna, Dolor, Lamētatio, Solicitudo, Molestia, Afflictatio, Desperatio, & si qua sint de genere eodem.

Forma quotuplex

h. Forma alia est
- Essentialis: vt anima: quæ ad substantiam refertur.
- Accidentalis, aut
  - Interna, atque à sensibus remota vt prudētia, bona valetudo, omnisq; habitus, atque potentia.
  - Externa, & sensui subiecta, aut
    - Per se: vt Qualitas patibilis.
    - Per aliud: vt quæ propriè forma hoc loco signata est nomine: & quartam constituit Qualitatis speciem.

Atque ea rursum duplex
- Naturalis: ab ipsa natura ingenerata.
- Artificiosa, arte inducta

Differentia inter formā & figuram

i. Inter formam & figuram quidam hanc ponunt differentiam: quòd forma multitudinem, figura autem magnitudinem respiciat: exempli gratia, dicunt quadrangulum formam esse, si angulorum

can-

tantùm numerum respicias. Sin verò ipsam linearũ superficiei ac magnitudinis descriptionem consideres, figuram. Alij figurã certam linearum comprehensionem vocant; formam verò aptam compositionem & pulchritudinem, tam in animantibus quàm in rebus inanimis: vt forma sit ipsius figuræ quasi quædã qualitas: veluti figura est triangulum, forma autem pulchritudo, & recta compositio ipsius trianguli. Alij denique hoc volunt esse discrimini, quod figura sit rerum inanimatarum, forma verò animatarum. vnde & versiculus:

Formam viventis, picti dic esse figuram.

k. Qualia intenduntur, ac remittuntur: id est, subiecta recipientia qualitatem, possunt dici secundùm intentionem & remissionem eius qualitatis: vt res accipiens candorem, vel atrorem, magis minúsve candida aut atra dici potest. Non enim qualitates ipsæ, formæ videlicet abstractæ suscipiunt magis & minus, sed qualia, concreta nimirum ab illis formis denominata. *Qualia intenduntur ac remittuntur secundùm magis & minus. non ipsæ qualitates.*

CAP. VIII.

De Collatione.

E*A cùm aliquo conferri dicuntur, quorum vis & natura omnis in eo posita est, vt ad aliquid affecta sint* [b] *quodammodo. vt, duplum & dimidium.*

Collata autem duplicia sunt,
- *Alia* [c] *propriè dicta: quorum* [d] *alterum altero constat, nec sine ipso possit existere. vt, pater & filius.* *Collata.*
- *Alia* [e] *minus propriè: quorum existente vno, non necessariò sequitur alterum. vt, sensus & id quod sensum movet.*

Proprietates,
1. *Contraria admittit hæc Categoria, sed multa in ea contrario carent.* *Collata.*
2. *Capax est intentionis & remissionis: at non in ea omnia.*
3. *Collata propriè, simul oriuntur & intereunt, mutuoq; se produnt, ac definiendo explicant: suntq; vicissim reciprocomeantia omnia.*

COMMENT. AD CAP. VIII.

a. OMnis collatio rerum esse intelligitur, non vocum: neque tamen collatione res ipsæ notantur, sed mutua quædam rerum, quæ sub eandem rationem cadunt, connexio; & vnius ad alterum affectio, cuius vis omnis ex ipsa collatione pendeat. *Collatio rerum non vocum intelligitur.*

b. Collata interdum gignendi, aliâs dandi, aliquando accusandi, nonnunquam etiam auferendi casu mutuò vicissimque respondent vt dominus, est servi dominus; & servus, domini servus: simile, est simili simile. magnum ad parvum magnum: maius, minore maius.

c. Collata propriè dicta, quæ vulgò relativa secũdũ esse, ea voco, quæ id quod dicũtur, alterum ab altero mutuò accipiunt; Quorũq; esse omnino tale, & vis, ratio, significatioq; eiusmodi ex mutua *Collata propriè dicta.*

 pror-

prorſus relatione dependet.

d. Alterum porrò altero conſtare dicimus;quia alterum conſiſtit ratione & virtute alterius: etenim poſito & conſtituto vno; ponitur,conſtituiturque alterum & contrà, ſublato atque interempto vno;tollitur,interimiturque reliquum. Sic mutuò viciſſimque ſeſe ponunt,atque auferunt. Quæ omnia in domino & ſervo, præceptore atque diſcipulo perſpicere licet.

Minus propriè.

e. Minus autem propriè,quæ vulgò relativa ſecundùm dici; quæ principali ſua ſignificatione rem abſolutam declarant,quæ in alijs prædicamentis continetur: minus verò principali, & quaſi ſecundaria indicant relationem vt,virtus,& vitium.

Quæ relata contrarium habent & magis minuſque accipiūt.

f. Ea relata contrarium habeant, & magis minuſque ſuſcipiant, quæ ab ijs ordinibus ſeu categorijs petuntur que contraria admittere,& magis minuſque ſuſcipere poſſint. Cuius generis ea ferè ſunt quæ ex qualitate deſumuntur.vt,ſcientia & ignorantia:virtus & vitium.

Comparantur autem,
- Ratione quantitatis,vt
  - Paria.
  - Aequalia.
  - Magnum & parvum.
  - Duplum atque dimidium,&c.
- Qualitatis nomine, vt
  - Similia.
  - Diſſimilia,&c.
- Ratione Actionis & Perpeſſionis, vt
  - Actor.
  - Reus.
  - Amicus.
  - Tyrannus.
  - Socius, &c.

Atque horum quidem alia conſtant
- Natura:vt,pater & filius.
- Voluntate vt,maritus & vxor.
- Fortuna.vt,dominus & ſervus.
- Arte:vt,præceptor & diſcipulus.

Præterea à eorum quæ comparantur alia ſunt,
- Perſonæ, vt
  - Sacerdos, Dominus.
  - Rex, Servus.
  - Coniunx, Socius.
  - Tyrannus, Civis.
  - Iudex, Vicinus.
  - Magiſtratus,
- Res, vt
  - Sacerdotium, Societas.
  - Regnum, Familia.
  - Coniugium, Vicinitas.
  - Tyrannis, Civitas.
  - Dominatus, Reſpublica.
  - Servitus,

Per

Per æqualem autem comparationẽ conferuntur venditor emptori, vicinus vicino, vxor marito, actor reo.

Comparatio æqualis.

Per inæqualẽ verò Imperator militi, Dux comiti, dominus servo, præceptor discipulo.

Comparatio inæqualis.

Multis in hoc genere nihil respondet, quoniam ijs, quibus cùm conferentur, nomina nulla imposita sunt vt sesquitertiũ in vsu est, quod autem ei respondeat, non est vsitatum. Atqui sanè nomina quoad commodè fieri poterit, fingenda ac fabricanda erunt.

Multa nomine vacant.

Ad hanc classem referenda sunt nomina.

Cognationũ, vt	*Pater,*	*Filius,*	*Frater,*
	Avus,	*Nepos,*	*Soror,*
	Proavus,	*Pronepos,*	*Patruus,*
	Abavus,	*Abnepos,*	*Avunculus,*
	Tritavus,	*Trinepos,*	*Amita,*
	Atavus,	*Atnepos,*	*Matertera,*
			Filia,
			Neptis, &c.
Affinitatum vt	*Maritus,*	*Nurus,*	*Vitricus,*
	Vxor,	*Levir,*	
	Socer,	*Glos,*	*Noverca,*
	Socrus,	*Fratria,*	
	Gener,	*Sororia,*	*Privignus.*
Officiorum ac dignitatum, vt	*Pontifex,*	*Dux,*	
	Imperator,	*Comes,*	*Prætor,*
	Dictator,	*Episcopus,*	*Quæstor,*
	Rex,	*Sacerdos,*	*Aedilis,*
	Princeps,	*Consul,*	*Tribunus.*
Aetatum, vt	*Infans,*	*Vir,*	
	Puer,	*Senex,*	
	Adolescens,	*Decrepitus.*	
	Iuvenis.		
Contractuũ, vt	*Venditio,*	*Datum,*	
	Emptio,	*Acceptum,*	
	Locatum,	*Commodatum,*	
	Conductum,	*Sumptum,*	
	& si qua sunt generis eiusdem.		

Societas, est plurium in vnum boni alicuius gratia consensio.

Socius est, qui se in negotio aliquo coniunxit.

Familia, est omnium dierum à natura constituta societas.

Vicinitas, est ex multis familijs constans societas prima, non quotidiani vsus causa.

Civitas, est societas ex multis vicinijs constans atque perfecta; cui proposita est tanquam extremum ac finis, rerum omnium satis magna abundantia: cuius & origo ad vivendum, & institutio ad bene vivendum refertur.

Civis. Civis est is, qui in civitate publicæ potestatis deliberandi, cōsultandi, iudicandique, atque magistratum subeundi est particeps.

Respub. Respublica est ratio ordoque civitatis, cùm in cæteris magistratibus, tum vel maximè in eo qui principatum tenet.

Tyrannis. Tyrannis, est unius dominatus, qui rationibus nullis gesti magistratus, reddendis tenetur: patibusque, iisque, qui præstantiores sunt, rebus suis, non eorum qui parent, consulens imperat.

Tyrannus. Tyrannus est, qui vnus rerum dominatus rationibus nullis gesti magistratus redditis, rebus suis, non eorum qui parent consulit.

Servus. Servus, est instrumentum animatum ad agendum aptum & separatum.

Iudex. Iudex, est legum interpres.

Magistratus. Magistratus, legum est minister.

In Collatione quinque requiruntur: Subiectum relationis: quia ipsa est accidens. Terminus: quia relatio est quædam habitudo & ordo inter duo. Fundamentum: quod est quiddam absolutum, videlicet ipsum abstractum, in quo fundatur relatio. Ratio formalis, sive conditio sine qua non: scilicet vt fundamentum fundet ipsam relationem Et ipsa relatio, quæ est quidam respectus seu ordo ad alterum.

CAP. IX.
De Actione.

Agere quid. *AGere, est vim alicui adferre. vt, secare percutere.*

Actio. 2. *Actio alia* { *Vim quamdam in rem aliam immittit: vt, calefacere, refrigerare.* / *Vim nullam in rem quidem aliam inducit, sed in eadem terminatur. vt, intelligere, & velle. Atq; illæ quidē externæ, hæ verò immanentes appellari solent.* }

Proprietates.

1. *Actio nonnunquā actioni est contraria: vt, incendere, & extinguere.*
2. *Contentionem capit & remissionem: vt, studere ac scribere magis minusq; alius alio dicitur.*
3. *Proprium est actioni, in motu esse, & mutationem aliquam rei patienti inferre. Actiones enim in exteriorem naturam transeuntes inferunt ex se passionem. vt, calefactio refectio. Non autem actiones in agente manentes: vt sunt, intelligere & velle.*

Comment. ad Cap. IX.

Quomodo Actio hæc sumitur. LAtius apud Dialecticos quàm Grammaticos sumitur actio: verba enim quæ agendi significationem habent, sive ea voce neutra, quæ Grammatici vocant, sive deponentia, sive etiam passiva sint: vt, doceo, ambulo, loquor, videor Nomina quoque ab ijs ducta, itemque participia omnia hac classe continentur. Verba communia, vt osculor, veneror, homonyma sunt: actionem pariter passionemque æquivocè significantia.

	Actio,	
Animæ,		*Corporis*
	Animæ,	
Sensum habentis,		*Sensu carentis,*
	Sensum habentis,	
Externa,		*Interna.*
	Externa,	
Voluntaria,		*Non voluntaria,*
	Voluntaria,	
Ambulare,		*Studere.*
	Ambulatio,	
Hæc,		*Illa.*

CAP. x.
De Passione.

P*Ati est vim allatam accipere. ut secari, percuti.* Pati quid.

Passio alia est à vi { *Externa & aliena: ut cùm materia ab igne accenditur.* / *Interiore & sua, ut cùm Invidus alterius rebus macrescit opimis.* } Passio duplex.

Proprietates.

1. *Passio invenitur passioni* [b] *contraria. ut, calefieri, & refrigerari.*

2. *Passio accipit magis* [b] *& minus. ut, aliud alio magis refrigeratur, & minus.*

COMMENT. AD CAP. x.

ACtio & perpessio sunt idem actus, quem, dum agentem respicimus, actionem dicimus: dum verò patientem perpessionem appellamus. Atq; actus quidem, alius elicitus vel signatus dicitur, alius imperatus vel exercitus: ille à voluntate immediatè: hic verò mediatè (alia nimirum potentia mediante) producitur, huc spectant verba sentiendi, ac intelligendi: quæ passionem activa voce significare dicuntur: Qualia sunt sentire, videre, audire, olfacere, gustare, tangere, intelligere: quorũ passiva ad actioné pertinere diximus. Nam quemadmodũ id quod sentit, videt audit, olfacit, gustat, tãgit, intelligit, pati censetur (omnis enim sensus, similiter & intellectus patiendo suam exercet operationé, non agendo: neq; verò emittunt quippiã oculi vel aures inter sentiendum, sed aliquid recipiunt potius: nimirum sensibilium species & similitudines ad ipsa organa pertingentes) ita, quod sentitur, videtur, auditur, olfit, gustatur, tangitur, intelligitur, agere dicitur: suam in re percipiente imprimens imaginé. Eòdem etiã pertinent verba perturbationũ, ut metuere, dolere, & quæ neutra cùm sint, passioné designant; ut, vapulo, veneo, fio: caleo autem, frigeo, palleo, erubesco, & similia, quòd

Actio & perpessio idem actus.

Verba sentiendi ac intelligendi.

Verba quæ formam non tant.

quòd magis formam notare videantur, ad qualitatis ordinem referuntur. Nam quòd longè aliter hoc loco sumatur passio quàm in tertia specie Qualitatis, ex vtriusque definitione facilè liquet.

Quomodo Actio & Passio magis minusque admittunt, & contrarietatem.

b. Nota, actionem & passionem magis, minusq; admittere & contrarietatem; non secundùm se simpliciter, verùm ratione contrariarũ qualitatum Nec tamen ideò substantiæ, puta ignis & aqua, dicuntur contrariæ propter contrarias in ipsis qualitates. Et ratio est quia ista contrarieta non exprimitur nominibus eiusmodi substãtiarum, sicuti actionum, passionumque: vtputa calefactionis & frigefactionis, intellectionis, ac volitionis bonæ & malæ. Quæ considerantur vel vt formæ, & sunt qualitates: vel vt actus, & sunt actiones, passionésve, provt voces ferunt.

	Passio,	
Animæ,		*Corporis.*
	Animæ,	
Sentientis,		*Intelligentis.*
	Sentientis.	
Ab externo,		*Ab interno.*
	Ab externo,	
Visio,		*Auditio.*
	Visio,	
Hac,		*Illa.*

CAP. XI.
De Vbi.

Vbi, est loci notatio, rei personæ, facto accommodata, vt, in foro esse,

In hac Categoria
1. *Nihil est alteri contrarium.*
2. *Nihil intenditur aut remittitur.*
3. *Rebus competit omnibus corporeis, & propriè solis.*

Comment. ad Cap. XI.

Vbi est prædicamentum & interrogatio eiusdem.

QVicquid aptè respondemus interroganti, vbi, sub hac classe collocatur: est enim prædicamentum pariter & interrogatio eiusdem. b. Contrarietas dialectica & propriè dicta non reperitur in hac Categoria: quippe quæ sumitur secundùm repugnantiam formarum & naturarum rerum comparatione ad subiectum, non secundùm distantiam, aut situm ac positionem partium vel locorũ. Vnde oriens & occidens, sursum atq; deorsum, in quibus pro ratione, Vbi, distantiam tantùm, & locorum situm spectamus, non naturarum aut motuum repugnantiam: contraria nequaquam sunt censenda nisi Physicorum more loqui libeat: etenim loci, quatenus superficies, seu intervalla sunt, contrario nomine non repugnant.

Vbi

	Vbi,	
In aëre,		*Extra aërem.*
	In aëre,	
In urbe,		*Extra urbem.*
	In urb-,	
Sub tecto,		*Sub subdio.*
	Sub tecto,	
Publico,		*Privato.*
	Publico,	
Sacro,		*Profano.*
	Sacro,	
In templo,		*In curia.*
	In templo,	
Petri,		*Pauli.*

CAP. XII. De Quando.

Quando est temporis notatio, rei, personæ, facto accommodata. ut nudiustertius. Quando.

1. *Contrario caret.*
2. [b] *Intentione quoque ac remissione.*
3. *Rebus competit solis corruptibilibus.*

Comment. ad Cap. XII.

Quando, nō est ipsum tempus sed applicatio temporis ad personam, rem, vel factū: vt heri, hodie, cras, nuper, olim. Quādo est & ipsum prædicamentum, & interrogatio eiusdem: quemadmodum Vbi. Subjicitur ergo huic generi quicquid ad interrogandi particulam, Quando, legitimè respondetur. b. Citiùs, ociùs seriùs, tardiùs, nihil magis aut minus in natura ipsius, Quando, sed celeritatem, & tarditatem: brevitatem, ac diuturnitatem temporis notare dicimus. Est prædicamentum, & interrogatio eiusdem.

	Quando,	
Circumstans,		Præsens.
	Circumstans,	
Præteritum,		Futurum.
	Præteritum,	
Olim,		Nuper.
	Olim,	
Seculum,		Lustrum.
	Seculum,	
Hoc,		Illud.

CAP. XIII. De Situ.

Situs, est rei, eiusq; partium positio. vt accubatio. Situs.

1. *Non intenditur neque remittitur.*

2. *Nec contrarium recipit.*
3. *Rebus cõpetit solis corporeis.*

Comment. ad Cap. XIII.

Situs duplex a. SItus pro ordine partium in loco, est vna ex decem Categoriis; pro ordine verò partium in toto, est differentia quædam quantitatis qua ea, quæ situm & positionem partium habet, differt ab alia. Huc spectant stare, sedere, iacere, cubare, accumbere, pendere, supinum ac pronum esse, & quęcunque sunt generis eiusdem. Item raritas, spissitudo, acclivitas, inclinatio, obtusitas, acuitas, & quæcunque rei alicuius, eiusve partium situm & positionem declarant. Differt autem ab Vbi, quòd Vbi sit modus quidem rei extrinsecus, Situs verò intrinsecus. Vbi autem & Situs prædicamentalis non conveniunt nisi rebus circumscriptive in loco, vel ordine ad locum existentibus.

Situs.

Naturalis.		Violentus.
	Naturalis,	
Mutabilis,		Immutabilis.
	Mutabilis,	
Continenter,		Aliquando.
	Continenter.	
Cæli,		Ignis.
	Cæli,	
Sol's,		Lunæ.

CAP. XIIII. De Habitu.

Habitus. b. *HAbitus, est integumenti ad corpus applicatio. vt, togatum, chlamydatum, tunicatum esse.*

1. *Nihil est ei contrarium.*
2. *Non suscipit magis aut minus.*
3. *Rebus solis competit corporeis.*

Comment. ad Cap. XIIII.

a. HÆC Categoria complectitur vocabula à vestium armorũ, & ornamentorum nominibus deducta; vt prætextatum esse, togatum, chlamydatum, tunicatum, galeatum, hastatum, loricatũ; esse cum telo, bullatum esse; annulo, monili, infula, sceptro, diademate, mitra ornatum; phaleratum esse equum, & similia. In quibus omnibus modus ipse ac tegendi ratio spectanda est, non materia aut forma integumenti quarum illa ad substantiam pertinet, hæc verò ad qualitatem. Ad Habitum autem, vt hîc capitur, quatuor requiruntur. Primò, vt aliquid alteri applicetur. Secundò, vt res apposita sit corporea. Tertiò, vt non sit intrinseca. Quartò, vt non sit res aliqua naturalis, veluti cutis, locus, & eiusmodi.

Ha-

- Habitus
  - Ornamenti, vt
    - Annulatio.
    - Coronatio.
    - Redimitio mitræ.
  - Indumenti
    - Domestici, vt,
      - Pileatio.
      - Tunicatio.
      - Indusiatura.
      - Calceatio.
    - Militaris, vt,
      - Loricatio.
      - Galeatio.
      - Gladij accinctio.

Situs est in corpore habente situm, inhæsivè & denominativè. Vbi, verò inhæsivè in corpore locante, in quo est locus Quando, autem inhæsivè in primo mobili, in quo est tempus: Habitus deniq; inhæsivè in re habita. sed Vbi, Quando & Habitus denominant illa quæ sunt in loco, tempore, & veste.

Sunt autem hæc sex posteriora prædicamenta relativa secundum dici: quia secundariò, important relationem.

Huc octo habendi modos, ex quibus duo tantùm, tertius videlicet & quartus, ad hunc ordinem propriè pertinent, libet adducere. Octo habendi modi.

Dicitur aliquid habere quippiam, vel tanquam
1. Qualitatem aliquam: vt scientiam, virtutem &c.
2. Quantitatem: vt magnitudinem trium quatuórve cubitorum.
3. Integumentum: vt vestem, arma, &c.
4. Ornamentum vt in digito annulum, & collo torquem, &c.
5. Partem aliquam: vt manum pedem, &c.
6. Contentum: vt modius habet & continet triticum, & amphora vinum, &c.
7. Possessionem veluti domum, prædium agrum, &c.
8. Vir mulierem habere, & virum mulier dicitur.

Qui quidē habēdi modi hoc disticho notantur:

Affectum' quantum, vestitum dic, vel vt aurum
Membrum, contentum, possessio, vir mulierem.

CAP. XV.

De Postprædicamentis.

QVÆ Categorijs complexi sumus, partim { *Conveniunt.* / *Repugnant.* } Postprædicamenta.

Conveniunt, quibus aliquid est commune. Convenientia.

Repugnant, quæ in aliquo discrepant, vel, Quæ de eodem singulari simul dici non possunt.

Specie. Genere.

Et convenientium quidem alia conveniunt
- *Individuo: quæ rem eandem, singularem denotant. vt,* Marcus Tullius Cicero; *eandem singularem personam.*
- *Specie: quæ sunt eiusdem speciei individua. vt,* Petrus *&* Paulus, *hominis.*
- *Genere, vel*
  - *Proximo: quæ eidem generi proximo subiiciuntur. vt* homo *&* bellua, *animali.*
  - *Remoto: quæcunq, vnius Categoriæ complexu coercentur. vt,* Socrates *&* corpus *substantiæ.*

Regula. *Quæ autem Individuo conveniunt, etiam specie conveniunt [a] & quæ specie, ea genere: & quæ genere, prædicamento: non contrà.*

Numero quadr. [b] *Porrò numero convenire quadrifariam dicuntur,*

1. *Nomine: Quorum nomina [c] plura, res vna est nempe plura eiusdem rei nomina vt,* ensis & gladius vestis *&* tunica. *Denique polyonyma, quæ à Grammaticis synonyma dicuntur, omnia.*
2. *Definitione: ipsa nimirum definitio, resq, definita. vt,* animal ratione præditum, *&* homo, *atque id genus alia.*
3. *Proprio. ipsum scilicet proprium, & species cuius est proprium. vt aptum ad rudendum & asinus, cæteraq, eiusmodi.*
4. *Accidente: accidens videlicet, & id cui accidit. vt,* purpuratus *&* Rex, *ac res quæq, accidensq, illud quod ei soli ex hypothesi attribuitur: nec non & accidentia omnia vnius eiusdemq, subiecti dicuntur esse eadem numero extrinsecè.*

Repugnantia. 2. *Repugnantium autem alia sunt*
- *Opposita.*
- *Diversa seu disparata.*

Opposita. *Opposita sunt, quæ repugnant [d] vnũ vni sic, vt neutrũ eorũ alicui tertio [e] eodem, quo ipsa inter se, dissidendi modo repugnet, vt candor & nigror temeritas atque ignavia.*

Oppositorum genera quatuor. *Oppositorum genera sunt quatuor,*
- *Collata,*
- Privantia,
- *Contraria,*
- *Contradicentia.*

Collata. [i] *Collata, sunt opposita, quorum [g] alterum consistit ratione alterius. vt, præceptor & discipulus.*

Privantia. [k] *Privantia, sunt opposita quorum vnum rei præsentiam; alterum eiusdem absentiam declarat, quando, & vbi adesse debet. vt, aspectus & cæcitas.*

Contraria. [n] *Contraria, sunt opposita, quæ in eodem [l] genere plurimum inter se [m] discrepantia, [n] eidem subiecto, à quo mutuò se expellant, vicissim quidem in esse possint quod in candore atque nigrore, calore ac frigore, sanitate & ægrotatione intelligi potest.*

Me-

Contraria alia,
- *Medium aliquod habent, quorum non est necesse inesse alterum in omni re ad ipsa suscipienda apta. ut, sapientia & stultitia: candor & nigror: audacia atque ignavia.*
- *Medium nihil recipiunt; atq; eorum alterum inesse est necesse in quaq; re ad ipsa accipienda idonea. ut, par & impar in numero: sanitas & ægrotatio in animali; secundùm Aristotelem: licet Galenus convalescentiam ponat mediam.* Contraria 2.

Contradicentia, sunt vox aliqua nudè & per se posita, eademq; negationis nota addita. ut, homo, & non homo. Contradicentia.

Oppositorum leges. Oppositorum leges.

Collata, simul esse necesse est.

Privantia, simul esse impossibile est.

Contraria, possunt & simul existere, & alterum sine altero esse.

Contradicentium, alterum omni rei tribuatur, sive res existat sive non existat: quod cæteris non contingit. Nam quod non existit, nec sanum nec ægrum est, nec videns nec cæcum, nec pater nec filius: verùm sanum vel non sanum dici potest: utraq; verò nulli.

Diversa sunt quorum utrumque multis, nulla certa lege aut numero, eodem, quo ipsa inter se, discrepandi modo repugnet. ut, aurum & lapis: scientia & virtus. Diversa.

Ac diversorū sanè alia differunt
- *Numero: ut eiusdem speciei individua.* Numero.
- *Specie: ut diversæ inter se, formæ, earumq; individua.* Specie.
- *Genere: cùm ipsa diversa genera, tum formæ, atq; individua illis subiecta.* Genere.

Quæcunq; prædicamentis differunt, genere differunt: & quæ genere, etiam specie: & quæ specie, singulatim differunt: non è contrario. Regula.

Comment. ad Cap XV.

a. EA, quæ conveniunt, possunt etiam discrepare; & contrà: non tamen ratione eiusdem: Quemadmodum Alexander & Bucephalus, quæ cum genere conveniunt, differunt specie

b. Quidam, haud satis argutè, eadem numero definierunt; quæ rem eandem singularem designant: cùm contrarium in plerisq; est videre. Quanquam enim eandem quidem rem semper; attamē non necessariò eam declarant singularem. Eadem numero perperam à quibusdam definita.

c. Alij minus ad commune iudicium, intelligentiamque verba accommodantes, obscurius dixerunt; Idem nomine, ut vestimentum & tunica: quæ nomine quidem discrepare potius quàm convenire videantur, verùm ex eo, nomine idem, vel convenire dicitur, quòd vis & notio nominis unius, cum alterius potestate & significatione consentit: hæc enim nominis, ut ita dicam, identitas, sive convenientia, atque consensus, non ex nominibus ipsis, sed re nominibus notata pendenda est: quæ cùm eadem in diversis nominibus reperitur, nomina illa idem, seu convenire ac consentire dia-

dicuntur:in re nimirum per ipsa communiter significata. d. Opposita sunt quæ repugnant vnum vni,&c. Dubitatione primò dignum videtur, quomodo id constare possit in relatis: cùm vnius domini multos videamus servos: vnius patris multos filios esse. Certum est enim hunc patrem,& hos filios relata esse: similiter hunc dominũ, & hos servos. Huic dubitationi poterit fortassis videri fieri satis, si cum doctissimis quibusdã dixerimus: filios referri ad patrem;& servos ad dominũ, multos ad vnũ, non quatenus multi sunt, vel ij singuli, sed quatenus communis ratio est, vnaque omnium,& filiorum & servorum: Quemadmodũ illorũ, patris & domini. vel, si dixerimus, vnum vni opponi, de speciali non de numerali vnitate præcipuè ac propriè accipiendum: singula tamen, vt hic pater & hic filius, si modò rectè designentur, nec ineptè opponi: quòd eorum superiora pater nimirum & filius, verè atque omnino opposita nominentur. Atqui, multi certè filij vnius patris, licet plures sint personę vnum tamen collatum constituunt. Eadem quippe in conferendo ratio est vniuscuiusq; & vniversorum filiorum, quot quot sunt, vnius patris Etenim omnes filij vnius patris iunctim & collectivè sūpti, singularem in propositione constituunt terminum: quemadmodum omnes digiti vnius manus, omnes sapientes Græci, omnes Apostoli, omnis hic populus,& similia. verbi causa: omnis hic populus sunt numero centum, omnes filij Metelli erant quatuor; singulares aio propositiones. Deinde quo pacto verum sit in contrarijs, virtutibus videlicet moralium eorumque extremis. Nam cùm virtus moralis mediocritas sit inter nimium & parum, quorum vtrumq; in vitio est; cùm ipsa vtrisq; extremis, tùm extréma inter se, pariterque mediocritati omniũ consensu contrario nomine adversantur.

Vnum vni, quomodo intelligendum in Relatis.

Patris ac matris, filij & filię eadem est ratio.

Quomodo in contrarijs.

Verùm duplicia constituuntur contraria.

Contraria duplicia,

Quædam primaria & adæquata: vt calor & frigus: liberalitas & illiberalitas: quæ primò, per se, ac propriè sunt contraria: & vni adversantur. Atque de his tradita est definitio.

Alia verò secundaria.& minus propriè dicta: quę ob id duntaxat contraria dicuntur; quia ad prima reducuntur. Atque hæc in triplici reperiuntur differentia.

Nam quædam sunt genera continentia sub se species contrarias: vt bonum & malum, virtus & vitium, scientia & ignorantia, potentia & impotentia quæ ratione sui quidem & per se absolutè nõ sunt contraria; cùm simul de eodem subiecto verè dicantur. Nam sciens vnam conclusionem ignoret aliam: similiter nihil obstare videtur quin sobrius sit superbus,& iustus quispiam prodigus: sed ratione illorum inferiorum, liberalitatis & illiberalitatis, Grammaticæ & ignorantiæ Grammatices, salubritatis & insalubritatis: quæ propriè sunt contraria.

Alia verò sunt inferiora contrariorum: vt hic candor, & hic atror: quæ propterea dicuntur contraria, quòd eorum superiora,

 cande

candor & atror primò, per se, ac propriè sunt contraria.

Tertiò sunt quædam, quorum alterum est extremum, alterum vero inferius sub reliquo extremo contentum: vt liberalitas dicitur avaritiæ contraria, quia est primò ac propriè contraria illiberalitati tanquam extremo, sub quo continetur avaritia, proinde ac si quis dicat: candorem huic nigrori esse contrarium, quia primò ac propriè contrarius est nigrori, sub quo continetur hic nigror. B. Thomas eidem obiectioni satisfieri existimat, si dixerimus, vni, secundum idem, id est, sub vna ratione ac formalitate, nō esse plura contraria: verùm secūdùm diversa, id est, alia atque alia ratione, puta, excessus & defectus: nihil impedire quin vni plura contrario nomine respondeant. Virtuti quippe contrariantur peccatū, malitia, & vitium sed non secundùm idem: Nam peccatum quidē contrariatur ei secundum quod virtus est operativa boni. malitia vero, secundùm quod est bonitas quædam: vitium autem propriè, secundum quod est virtus. Dico igitur mediocritatem primo, & adæquatè, vt loquuntur, non exuperantiæ, aut defectioni, sed vtrisq; simul adversari. quemadmodū liberalitas non prodigalitati, aut avaritiæ sed illiberalitati, quo nomine vtraq; cōtinentur, primo opponitur. Deinde vero seorsùm extremorum singulis, eorumq; etiam inferioribus. Sed quoniam nomina plerūq; desunt, quibus vtraq; extrema pariter exprimantur: prima oppositione frequentissimè prætermissa, cæteris contenti sumus. Atq; hinc est, quod dicimus primò, id est, in prima oppositione vnum vni opponi.

e. Eodem, inquam, dissidendi modo: quia licet candor & nigror, temeritas atque ignavia multis repugnent, at nulli certè [alteri, eodem quo ipsa inter se repugnantię genere, primò, per se, ac propriè pugnare inveniantur: sed, vel contradictorio, vel alio quoquo nomine. *Eodem dissidendi modo.*

Colores autem medios, quos ad legem extremorum Analogicè licet ac imperfectè aliqui nec ignobiles reducendos putant, ita vt quodammodo colori albo glaucus & cæruleus contrarij censeantur: nos, opinor, & rectiùs, & veriùs cum claris & prēstantibus Philosophis tum extremis suis, tum inter se contrarios esse negaverimus. Quærenti autem quamobrem colores medios extremis suis contrarios negaverim, virtutes vero in medio positas suis extremis contrarias asseverim: respondeo longè aliam rationē esse eorum, quæ media sunt per participationem extremorum, vt sunt colores medij, quam eorum quæ sunt media per extremorum abnegationem ac discrepantiam, vt sunt virtutes morales: illa magnā habent cum extremis suis affinitatem & coniunctionem, propter quam contrario nomine adversari aut opponi nequeunt. hęc summam alienationem & repugnantiam, propter quam debent. *Colores medios non esse contrarios.* *Obiectio.* *Responsio.*

f. Collata ex mutua relatione cognoscuntur, nec eidem simul, *Collata.*

rati-

Collata. ratione eiusdem convenire queunt: vt in domino & servo perspicere licet. g. Alterum dico consistere ratione alterius: quoniam alterum sine altero consistere nequit.

Privantia. h. Privantia consideranda sunt non in eodem modò subiecto, vt vocant, totali: verum secundum eandem etiam eiusdem subiecti partem, quam subiectum partiale nominant: Non enim cæcitas vnius oculi privativè opponitur aspectui alterius.

Privari dicitur quadr.

Dicitur aliquid privari quãdoque eo

1 Ad quod planè est ineptum vt bellua ratione, piscis loquentia, mare auditu dum dicitur illa rationis expers, iste mutus, hoc surdum.

2. Quod secundùm se non est natum habere sed secundum suum genus. vt talpa sensu videndi.

3 Quod secundùm se quidem natum est habere, nec dum habet, licet tempus ipsum habendi nondum adfuerit. vt catulus aspectu ante tempus despiciendi constitutum.

4. Quo caret, quando, vbi, & quomodo natum est habere. vt catulus aspectu, si tum demum videre nequeat, cum tempus videndi à natura constitutum advenerit. quæ est privatio proprissimè dicta: prima autem alienissima.

Privatio dup.

Privatio alia tollit

Actum tantùm: vt somnus, tenebræ, & similia: A qua privatione in habitum (sic enim loquimur) iterum fit regressus.

Actum pariter & potestatem redeundi: vt cæcitas, surditas & huiusmodi: à qua iterum ad habitum nunquam fit regressus.

Contraria quomodo sumenda. k. Contraria hoc loco sumuntur propriè pro iis quæ per se sunt contraria contrarietate logica. De Physicis enim contrariis, quæ frequenter, aut disparata sunt, aut privative opposita, nihil agitur.

Contraria quomodo in eodem genere. l. Contraria sunt in eodem genere proximo, videlicet, vel remoto, non enim possunt, quæ in diversis collocantur prædicamentis, contrario, aut alio quovis oppositorum nomine, præsertim si vtrumq; positivum est, respondere. Neq; verò bonum & malum generaliter atq; vniversè, vt transcendentia sunt, & per omnia prædicamenta diffusa considerata, contraria rectè dici queunt: cùm in eodem simul inesse possint, atque in sex Categoriis in quibus reperiantur, Substantia, Quantitate, Vbi, Quando, Situ, & Habitu nulla contrarietas inveniatur. Singula autem ipsorum genera, contrario nomine opposita in eodem prædicamento continentur: in quibus bonum semper malo contrarium est: malum aliàs bono aliàs malo.

Discrepantia contrariorum vnde sumenda. m. Discrepantia contrariorum sumenda est ex propria ipsorum natura, & comparatione ad subiectum: non autem secundum dist-

distantiam, aut situm locorum, vt antea annotavimus. 11.Com.

Considerata autem natura virtutis & vitij, in comparatione ad subiectum, non minor est dissensio alterutrius extremi à media virtute quàm sit unius extremi ab altero.

n. A quo mutuò se expellant: hoc est, vtriusq; capaci: alioqui mutuò ipse non possunt expellere: vtpote altero existente innato ac inseparabiliter insito. Contraria possunt simul in eodē inesse subiecto totali, vt de privantibus est dictum: verùm nō in eodem subiecto partiali, id est, in eadem parte eiusdem subiecti: Quod in calore & frigore est videre. Colores quippe cōtrarij, vtpote albus, nigerq; ab eodem oculo vno percepti aspectu, non sunt realiter dicendi inesse in oculo, tum enim oculus albus inde nigerq; diceretur quod tamen minimè fit. At verò oculus ipsos intuendo colores, species quasdam, seu formas, ac quasi ideas, quas intentiones vocant apprehendit, & concipit: easque intentionaliter (sic enim loqui Dialectici consueverunt) ad interiores sensus intromittit: atq; hæ quidem intentiones nequaquam sunt res aliquæ, sed affectiones quædam ipsarum rerum. Pari ratione de intellectu, & ijs quę intellectu percipiuntur, est sentiendum, hinc fingūt quidam,

Contraria alia:
- Realia quæ simul in eodem inesse posse negant: vt res ipsæ contrariæ. Contraria duplicia.
- Intentionalia; quę simul in eodem inesse posse concedunt: vt species illæ à rebus abstractæ. At verò ea quæ sunt contraria in se secundùm rerum naturam; secundùm quod sunt in mente, non habent contrarietatem: rationes quippe contrariorum, quas intentiones vocant, intellectu comprehēsæ contrariæ rectè dici nequeunt.

o. Contradicentia, affirmationem & negationem eiusdem plerique definiunt: verùm cùm nihil eorū quæ simplicia sunt, de quibus sermo hic habetur, per se propriè in affirmatione & negatione dicitur: sed ex eorum mutua quadam coniunctione omnis & affirmatio & negatio nascitur: Nam & omnis affirmatio & negatio aut vera est, aut falsa: & nihil eorum quæ simplicia sunt, non coniuncta, verum est, aut falsum: vt homo, vt candor, vt currit, vt vincit: Consultum videbatur, alia, fortasse planiore, definitione adhibita; hūc scrupum tollere: haud ignorando quosdam ita negationem distinxisse, vt Contradicentia.

Alia fit:
- Negans: velut, *Cato non est sapiens.* Negatio triplex.
- Privans: velut, *insipiens.*
- Infinitans: velut, *non homo.*

Inter negationem autem & privationem hoc interest: quòd negatio solùm dicit carentiam alicuius formæ: privatio autem præter carentiam includit aptitudinem subiecti ad illam formam.

Verue-

Non. In. Aliæ contradicentium definitiones. Oppositorum eandem esse disciplinam.

Veruntamen si quis accuratiùs veritatem limare velit, intelliget profectò particulam Non, non tam verè ac propriè negationem, quam negationis notam dicendam. In præpositione autem In, vim quandam negationis notæ, negationem nullam esse. Rectè au[tem] definiri videntur: terminus finitus, & infinitus vt homo & non homo: vel Opposita, quæ nullum omnino per se medium admittunt. Ex his omnibus liquere arbitror, oppositorū eandem esse doctrinam, scientiam, cognitionem, disciplinam. vno quippe eorum inspecto & cognito: & alterum pariter intelligitur.

CAP. XVI. De modis prioris, & simul.

Prius quinq; modis dicitur. Tempore.

PRius aliud alio quinque modis dicitur: vt in sequenti versiculo:

Tempore, natura, prius ordine, causa, & honore

Tempore, quod antiquius est, ac tempore præcedit. vt Cicero Quintiliano, pueritia iuventute.

Natura.

Natura, à quo vicissim retrò non commeat consequutio: vt eo nimirum existente, alterum necessario sequatur. Sic animal homine prius est: Nam si homo est, & animal est: non autem, si animal est, idcirco hominem esse necesse est. Et sic genera formis, formæ individuis, partes toto, subiecta adiacentibus priora sunt.

Ordine.

Ordine, quod ordine præcedit. vt literæ, syllabis priores sunt; syllabæ dictionibus; exordium narratione.

Causa.

Causa, quod causa est quomodocumq; cur sit alterum. Sic solis ortus, die prior; differentia speciei; species proprio dicitur.

Honore.

Honore & dignitate, quod præstantius est, & in maiore pretio habetur: vt Consul, Prætore; Prætor, Edili; aurum argento, anima corpore; Imperator, milite; parentes, & amici, alienis. Deniq; quodcumq; alio pluris facimus, hoc apud nos prius & antiquius dicitur.

Simul. 3.

Simul itidem dicuntur alia
- *Tempore: quæ in eodem orta sunt tempore. vt solis exortus, & dies.*
- *Natura: à quibus [a] vicissim retrò commeat consequutio, & neutrum est alterius causa. vt duplum, & dimidium.*
- *Divisione: quæ sunt [b] eiusdem membra divisionis. vt candor, & atror.*

Comment. ad Cap. XVI.

VIcissim retrò commeat consequutio in ijs, quorum posito vno sequitur alterum & sublato vno, tollitur reliquum. vt posito patre, sequitur filius necessario: & sublato patre, filius tollitur: & contrà.

b. In his quæ ex opposito dividuntur, quædam inveniuntur quæ sunt naturaliter simul, & secundùm rem, & secundùm rationem: sicuti

sicuti sunt duę species Animalis: vel duæ species coloris. Quædam verò sunt simul secundùm rationem, sed vnum realiter est prius altero & causa eius: sicut patet in formis numerorum, figurarum, & motuum. Quædam autem non sunt simul, nec secundùm rem, nec secundùm rationem sicut Substantia, & Accidens: nam substantia realiter; id est, vt in rerum natura existit, est causa accidenti. & ens secundùm rationem prius attribuitur substantiæ quàm accidenti: quia accidenti non attribuitur (quoad illius esse in actu) nisi quatenus est in substantia.

CAP. XVII. De Mutatione, seu Motu.

M*Vtatio, est acquisitio, vel amissio alicuius in aliquo.* — Mutatio quid.

Est autem quadruplex.
- *1. Substantiæ, vt in* *Ortu, atque* / *Interitu.*
- *2. Quantitatis, vt in* *Accessione, &* / *Decessione.*
- *3. Qualitatis, vt in Immutatione, sive alteratione.*
- *4. Loci, vt in Migratione.*

Mutatio quadr.

Quod enim mutatur aut in substantia, aut in Quãtitate, aut in Qualitate, aut in Loco semper mutatur.

[b] *Ortus, est rei non existentis in essentiam productio, vt arboris ex semine procreatio.* Ortus.

Interitus, est rei iam existentis desitio vt ligni exustio. Interitus.

Accessio, est maioris quantitatis acquisitio. Accessio.

Decessio, nonnullius quantitatis amissio. Decessio.

[c] *Immutatio, sive alteratio, est qualitatis alicuius acquisitio, vel amissio* Immutatio.

[d] *Migratio, est loci mutatio.* Migratio.

Quies motui in omnibus ex opposito respondet. Quies.

[e] *Quiescere autem id dicitur, quod, cùm aptum sit, vt moveatur: non tamen vbi, quando & quomodo est aptum, movetur.* Quiescere.

Comment. ad Cap. XVII.

a. MOtus, eiusque species aliter quoque hoc modo definiri solet. Motus, est actus eius, quod est potentia, vt tale est. Motus.

Ortus, sive generatio, est motus à non esse talis substantiæ, ad esse eiusdem. Ortus.

Interitus, seu corruptio, est motus ab esse talis substantiæ ad non esse eiusdem. Interitus.

Accessio, sive accretio, seu coaugmentatio, est motus à minore quãtitate ad maiorem. Accessio.

Decessio, sive decretio, seu diminutio, imminutiove, est motus à maiori quantitate ad minorem. Decessio.

Immutatio, sive alteratio, est motus de qualitate in qualitatem. Immutatio

Migratio, seu loci mutatio, est motus de loco ad locum. Migratio

b Ortus hoc loco sive generatio latè sumitur, sicut ab Aristotele Ortus quo.

modo ſumi-tur. tele in libris Phyſicorum, & de generatione, non quemadmodum primo de Anima: vbi definita eſt, eſſe productio viventis ſimilis ſecundum ſpeciem ipſi generanti ex ſemine viventis.

Generatio duplex.

Generatio
- Propriè dicta: vt quando homo generat hominem.
- Metaphorica: vt quando motus dicitur generare calorem: & res ſenſui aut intellectui obiecta aliquod in animo ſenſum aut intelligentiam.

Alteratio duplex.

Immutatio, ſive alteratio
- Communiter: ſecundum omnem qualitatem.
- Propriè: ſecundùm patibiles ſolùm qualitates.

Migratio quotuplex: In motu conſideranda.

Migratio, ſeu loci mutatio
- Naturalis.
- Animalis.
- Violenta.

Iterum
- Recta.
- Orbica.
- Mixta.

In motu quinque conſiderantur
- Movens,
- Mobile.
- Tempus.
- Locus.
- Terminus.
  - à quo, &
  - ad quem.

Immobile quadruplex

Immobile dicitur, vel quod
- Moveri omnino nequit.
- Multo tempore vix movetur.
- Tardè admodum incipit moveri.
- Cùm aptum quidem ſit vt moveatur, non tamen movetur.

Atquè hæc de voce quidem ſimplici hactenus.

DIALECTICÆ LIBER SECVNDVS.

De Propoſitione, ſeu Enunciatione.

Tranſitio.

QVAE de voce ſimplici neceſſariò cognoſcenda diximus, ſatis explicata arbitror libro ſuperiore. Sequitur, vt coniunctam, id eſt, orationem Dialecticam, quam propoſitionem ſeu enunciationem vocant, perſequamur. Si priùs de definitione, ac diviſione, quæ medium quaſi locum inter vocem ſimplicem & propoſitionem tenent, egerimus, Deinde conſtituerimus, quid Nomen, quid Verbum, quid Oratio: quorum cognitio ad enunciationis naturam intelligendam valet plurimùm.

CAP. I. De Definitione.

Definitio quid

Ex quibus conſtat.

DEfinitio eſt oratio qua quid ſit id de quo agitur, breviter explicatur. vt, ſi quæratur, quid homo ſit? reſpondemus, animal mente præditum. Quid honos? virtutis præmium.

Conſtat propriè ex duabus partibus, genere & differẽtia: quæ ex eadem rerum ſerie, in qua res definienda reperitur, depromenda ſunt.

Nihil opus eſt genus ſemper a capite vſque arceſſere; cùm genus proximum & ſpeciei procreatrix differentia ſufficiant. Neque ſemper eſt neceſſe, genus eius quod definitur, exprimere: facilè id ſæpe, quamvis tacitum,

tum, intelligatur. Quòd si germanæ differentiæ inveniri nequeant, earum vices, proprietates, aut communium frequentia, seu accidentium multitudo supplebit.

Definitio debet esse brevis, & aperta, vtpotè quæ illustrandæ rei gratia adhibetur. Neque plura, neque pauciora complecti quàm eius quod definitur, natura postulat. vt retrò vicissim cum eo commeet. Qualis esse debeat.

Definitio, alia est { [b] *Nominis, qua significatio vocis declaratur: adhibeturq; necessario, cùm* [d] *de voce ambigua disputatur.* / [c] *Rei, qua vis & natura rei breviter explicatur.* } Definitio duplex. Nominis. Rei.

Definitio autem rei alia est { [d] *Germana & essentialis: in qua cum genere vera exprimitur differentia, & definitio proprie dicitur.* / [e] *Accidentalis, quæ ex proprietatibus, aut accidentibus cum genere collecta, descriptio appellatur.* } Essentialis. Accidentalis.

Etymologia, interpretatio, notatio, periphrasis, & eiusmodi, in quibus genus saltem non exprimitur, non merentur definitionis nomen, licet eam ex parte referant: quoniam definitione, quid sit id de quo agitur explicatur: hisce autem non quid sit, sed quale potius ostenditur. Etymologia. Interpretatio. Notatio. Periphrasis. &c.

COMMENT. AD CAP. 1.

Definitio { b. Nominis <

1. Κατὰ λέξιν: cum notiori verbo quippiam declaratur, vt, *fari, est loqui.*
2. Κατὰ διαφορὰν per differentiã; vt, *ira brevis est odium inveteratum.*
3. Κατὰ μεταφορὰν: per translationem, vt, *ratio, est anima legis, mors vltima linea rerum est.*
4. Κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου: per contrarij remotionẽ. vt, *virtus est vitium fugere.*
5. Κατὰ περίφρασιν: per circuitionem verborum. vt, *Carthaginis eversor.* pro Scipione.
6. ὡς τύπος: exemplaris. vti, *Substantia est, homo.*
7. Κατ' ἔνδειαν πλήρους: per defectum vt, *dodrans est, cui quadrans deest.*
8. Κατ' ἔπαινον: à laude sumpta, vt, *Dialectica est ars artium. Iustitia est regina virtutum.*
9. Κατ' ἀναλογίαν: proportione, aut similitudine. vt, *lex, est anima civitatis.*
10. Κατ' ἐτυμολογίαν: quæ ex vi nominis elicitur. vt, *Iustitium, est iuris statio.*

[d] 1 Οὐσιώδης: Essentialis cõstans ex genere proximo & differentia. vt, *homo est animal rationis particeps.*

Rei
- 2. Αἰτιώδης: causalis; quæ conficitur ex genere & proprijs rei causis; & est quadruplex.
  - Ex materia. vt, *Cervisia est potus ex aqua, horaeo, lupuloq; confectus.*
  - Ex forma. vt, *toga, vestis est talaris, laxa, & sinuosa.*
  - Ex efficiete. vt, *Senatusconsultũ est, quod Senatus iubet atq; cõstituit.*
  - Ex fine vt, *vestis, est indumentum ad corpus tegendum factum.*
- 3. Κατὰ μέρος: ab enumeratione partium, aut formarum vt, *ius est, quod leges, plebiscita, Senatusconsulta Principum placita, Magistratuum edicta, responsa prudentum, morem, & æquitatem comprehendit.*
- 4. C. ὑπογραφή descriptio; quæ colligitur ex genere & accidentibus differentię nobis ignotę vicem supplentibus vt, *homo, est animal bipes implume & erectum.*

Referri huc & illa finitio potest, quæ petitur ab effectis, & officijs, aliæque quamplurimæ: quippe cùm ab omnibus penè locis ducatur definitio: vt alio loco exemplis demonstrabitur. Sed hæ ferè sunt, quæ ab auctoribus recenseri solent, suntque in vsu maximè. *Lib. 4. ca. 3.*

Physicus per materiam,
Dialecticus per formam,
Metaphysicus per efficientem causam,
Moralis Philosophus per finem,
} præcipuè definire solet,

CAP. 11. De Divisione.

POstquam definiendo, quid sit vnumquodque cognoscimus: consequens videtur, vt quotuplex sit, dividendo intelligamus.

Divisio quid *Est autem divisio, amplioris, seu latiùs patentis, in angustiora, minusq; latè patentia distributio.*

Divisio duplex *Divisio, alia est* { *Nominis.* / *Rei.*

Nominis Rei. *Divisio nominis, est vocis ambiguæ in suas significationes distinctio. vt si lupum distinguamus in hominem, quadrupedem, & piscem: Canem in terrenum, aquatilem, & æthereum. Estq; necessario adhibenda, cùm de voce ambigua disceptatur.*

Substantialis Accidentalis *Divisio rei, alia est* { *Substantialis.* / [a] *Accidentalis.*

Proprio nomine dicta Partitio *Substantialis, aut est,* { *Divisio* [b] *proprio nomine dicta.* / [c] *Partitio.*

COMMENT. AD CAP. 11.

a Divisio, est communioris in minus communia, aut superioris in sua inferiora accommoda diductio. Propriè autem dividere, est genus per differentias in species dirimere. Omnis quippè divisio propriè dicta esset quidem generis in species per differentias: exempli gratia: animal aliud est rationis particeps vt homo, aliud rationis expers vt bestia: sed aliquando nomina differentijs non sunt indita; & tunc in species dividimus: vt corporum simplicium, aliud cælum, aliud elementum: quandoque verò formis nomina desunt; & tunc in differentias; vt bestia alia terrena, alia aquatilis, alia, volatilis. Genus itaque dividitur vel in species, vel in differentias, vel in species per differentias: b quæ est divisio omnium perfectissima & maximè propria. *Divisio quid* *Propriè dividere*

Bona est divisio, quando divisum in membra dividentia ita consumitur, vt se cum illis omnibus pariter adæquet: nec plus minúsve complectatur: sed cum omnibus simul captis vicissim retro commeet. Ipsaque membra inter se ita differant vt neque vnum de altero, neque pariter de eodé aliquo tertio essentialiter dici possint. *Bona divisio*

Debet, vti definitio, brevis esse, & aperta, vtpote quæ & ipsa manifestationis causa adhibetur. *Divisio qualis*

c. Partitio est, qua totum in partes, aut membra sua distribuitur, secatur, discerpitur, vt, cùm civitatem in ædes, plateas, portas, mœnia, fossas: Domum, in fundamentum, parietes, & tectum: hominis corpus, in caput, humores, brachia, manus, latera, crura, pedes, & cætera dispartimus. *Partitio*

Triplex est partitio,

1. Vna totius substantialis sive naturalis, sive artificialis in partes substantiales; quæ quidem partes, aut rem constituunt, vt materia & forma: aut ad integritatem & perfectionem eius pertinent, quæ partes integrales sive integrantes à quibusdam nominantur: suntque duplices: homogeneæ, sive similares, quæ eiusdem sunt generis cum toto, & inter se: aut heterogeneæ, seu dissimilares, quæ sunt diversi generis à suo toto, & inter sese. Illæ sunt, vt, partes ligni, ossis, aquæ, sanguinis: hæ verò vt, caput, manus, pes, digitus.

2. Altera est, totius secundùm quantitatem discretam, vel continuam, in partes etiam quantitatis: vt numeri in vnitates: lineæ in lineas.

3. Tertia est totius potentialis in partes potestatis; vt, animæ, in vim vegetandi, sentiendi, & intelligendi.

Differt à divisione partitio primùm, quia divisio est rerum vniversarum, partitio verò singularium. Rursùm, quia divisio finita est, partitio autem infinita. Prætereà, quòd divisum de suis membris verè semper enunciatur; non autem id quod dispartitur nisi *Differentia inter divisionem & partitionem*

Regula. fuerint eiusdem generis, quæ homogenea nominantur: vt sun sanguis, aër, ignis, aqua, terra, eorumque partes: quarum quæque totius sibi nomen vendicat. Sed in omnibus membris dividentibus semper intelligendum est divisum; ne latiùs fortassis æquo quandoque pateant.

Divisio accidentalis quadr.

d. Divisio accidentalis, aut est
- Subiecti in accidentia. vt, *homines, alij liberi sunt, alij servi.*
- Accidentis in subiecta. vt, *bonorum, aliud animi est, aliud corporis.*
- Accidentis in accidentia. vt, *bonorum, aliud honestum est, aliud vtile, aliud iucundum.*
- Accidentis in subiecta per accidentia vt, *candidorum, aliud liquidum est, vt lac: aliud solidum, vt charta.*

Enumeratio. Ad hæc, enumeratio dicitur, quoties multa quæ vni alicui insunt, recensemus. vt, *Cicero eloquens orator fuit*[e] *prudens senator, & gravis Philosophus.*

CAP. III.

De Nomine, Verbo, Oratione, & Propositione.

Nomen. NOmen,[b] *vox est simplex ad quippiam,*[d] *nullo temporis cum discrimine, significandum,*[c] *consensu hominum instituta, vt,* liber.

Verbum. *Verbum, vox est simplex, ad quippiam,*[d] *temporis aliquo cum discrimine, significandum, consensu hominum instituta. vt* scribo.

Oratio. [i] *Oratio, est vox coniuncta,*[e] *ad sensa animi exprimenda consensu hominum instituta. vt.* virtuti fortuna cedit.

Propositio. *Propositio seu enunciatio, est oratio, qua aliquid alteri convenire, aut affirmamus, aut negamus. vt* plerunque nos fallit vitium specie virtutis & vmbra. Non videmus manticæ quod in tergo est.

Partes propositionis.

Tres habet partes,
- [n] *Subiectum.*
- *Prædicatum, sive attributum, &*
- *Copulam.*

Termini, vel Extrema. *Quarum priores duæ, termini vel extrema nominantur suntq; Propositionum materia.*

Subiectum. [l] *Subiectum dicitur, quod antecedit copulam.*

Prædicatum. *Prædicatum, vero sive attributum, quod eam sequitur.*

Copula. [m] *Copula,*[p] *verbum est principale extrema connectens. Exempli gratia:* Ardua est via ad virtutem: *propositio est, in qua,* via ad virtutem, *est subiectum:* est, *copula:* ardua, *attributum. Sed*

Propositio Explicita. Implicita.

Propositio, alia est
- [r] *Explicita: in qua istæ tres partes manifestè exprimuntur. vt,* virtus est expetenda.
- [l] *Implicita in qua vna pluresve in reliquis inclusæ latent vt.* Cicero exulat, ningit, abeo.

Copula omittitur. *Copula item sæpè omittitur. vt in his;* Lingua mali pars pessima servi. Optima vindictæ proxima quæq; dies. Fronti nulla fides. Ni-

dine

hil assuetudine maius.

Interdum nec extrema adeo clarè se produnt: vti hic; Interest omnium rectè facere.

Præterea | Simplex: quæ Categorica dicitur.
alia est | Coniuncta. quæ hypothetica nominatur.

Simplex, sive Categorica. Coniuncta, sive hypothetica.

[b] *Propositio simplex est, qua vnum predicatum vni tribuitur, adimiturve subiecto. vt,* Omniũ rerũ vicissitudo est, Invia virtuti nulla est via

Propositio simplex quid.

Coniuncta, quæ ex pluribus simplicibus conflatur. vt, Prima pars ævi sese nescit, media curis obruitur vltima molesta senectute premitur. Celsæ vicina pericula sorti, imaque deprimitur; medio tutissimus ibis.

Coniuncta quid.

Simplex, | Ait.
alia | Negat.

Aiens,

Propositio aiens est, in qua [n] *attributum affirmatur de subiecto. vt.* Primus ad sapientiam gradus est, seipsum nosse.

Negans, in qua [o] *attributum de subiecto negatur. vt,* Haud est virile, terga fortunæ dare, Negans.

Atq, harum alia ait, vel negat, { *Vniversè & generatim, sive in totum, atq, omnino: quæ generalis & universalis, seu universa dicitur.*
Ex parte aliqua: quæ specialis, & particularis vocatur.
Ex incerta parte: quæ indefinita appellatur.
Singulatim: quæ singularis nominatur.

Vniversalis propositio est, in qua subiectum [q] *universaliter capitur. vt,* Superanda omnis fortuna ferendo est. Nullus vbique potest fœlici ludere dextra. Vniversalis.

Particularis in qua [r] *particulariter vt,* Aliqua senectus est morbus, Particularis.

Singularis, in qua [s] *singulariter. vt,* Plectitur iratus voce rogante Deus. Singularis.

Indefinita, in qua [t] *dubiè atq, incertè. vt,* Voluptas est malorum esca. Indefinita.

Rursum, | Vera.
alia est | Falsa.

Vera est, quæ id, quod res est, ostendit. vt, Optimus portus pœnitenti est mutatio consilij. Vera.

Falsa, quæ rem aliter atq, ipsa est, declarat. vt, Quærenda pecunia primùm est, virtus post nummos Falsa.

Præterea alia est { *Necessaria.*
Contingens, sive fortuita
Impossibilis, seu incredibilis

Necessaria est, in qua attributũ [u] *necessariò convenit subiecto. vt.* Fortitudo est virtus. Necessaria.

Contingens, sive fortuita, cuius extrema [x] *nulla necessitate cohærent. vt,* Magistratus est laudandus, Contingens.

Impossibilis. *Impossibilis, seu incredibilis, cùm fieri non possit, vt ita res habeat, ut ipsa declarat. vt,* Lapis sentit.

Comment. ad Cap. III.

Nomen, Verbum, & Oratio tripl.

Nomen, verbum, & Oratio triplicia sunt { Mente comprehensa. Voce prolata. Scripta.

Quomodo hoc loco intelligun tur.

a. Omnia autem hoc loco intelliguntur, quatenus voce proferuntur.

Vox finita. Infinita. Recta. Obliqua.

In definitione nominis, itemq; verbi, vult Aristoteles vocem intelligi finitam, non infinitam: rectam, non obliquam. Est autem finita, vox aliqua nudè & per se posita; vt, *lapis, curris*: Infinita verò, vox aliqua cum negationis nota addita: vt, *non lapis, non curris*. Recta, quæ est casus recti, quem nominativum appellant Grammatici, aut præsentis temporis, modi indicativi, seu demonstrativi: vt, *terra, scribo*. Obliqua, quæ est casus obliqui, aut alterius modi, atque temporis: vt, *Ciceronis, scribebat*: quæ casus nominis, & verbi vocat Aristoteles. veruntamen ex nominibus, verbisq; infinitis, & casibus etiam vtrorumque, propositiones constare possunt: eaque, amplificata acceptione, nomina ac verba dici queunt. Quid autem ampliore, vel angustiore acceptione, aut significatione sumi; quid latiùs, minúsve latè patere, sit; facilius hinc ego sanè (quicquid sit de ampliatione, restrictionéque à quovis effutitum) intellectu arbitror, quàm vt longiore explicatione egeat.

Ampliatio. Restrictio.

Vox simplex Li. 1. c. 1. & 2.

b. Vox simplex quid sit, anteà diximus: ea enim particula, ab oratione nomen verbumque seiunguntur.

Instituta hominum consensu.

c. Instituta hominum consensu ad quippiam significandum; excludit voces naturales, quas nullis hominum documentis, sed natura ipsa magistra didicimus His etenim, cùm articulatè & distinctè nihil exprimant, in disputatione vti, ridiculum foret, veluti, si quis fiendo, ridendo, murmurando, aut sibilando, propositiones atque argumentationes proferre; & mentem ac sententiam suam auditoribus explicare conaretur.

Nullo temporis cum discrimine.

d. Nullo temporis cum discrimine: nomen à verbo segregat: verbum enim tempus adsignificat, hoc est, significatione sua tempus includit. vel vt in definitione eius diximus: temporis aliquo cum discrimine significat. Temporis autem discrimina sunt, præteritum, instans, & futurum quorum nullum, *cœno, ientaculum, prandium*, & similia omnino declarant Neque enim qui *prandium* dicit, si quidé nihil addatur: futurum tempus, aut instans, aut præteritum ostédit. *Dies, hora, mensis*, & *annus*, non cum tempore, aut temporis discrimine: sed tempus ipsum significant: nam præter tempus nihil demonstrant.

Ad sensa animi exprimenda instituta.

e. Quoniam autem mentis interpres est oratio, ad sensa animi exprimenda instituta dicitur.

f. Ora

Oratio, alia est { Imperfecta: sensum habens mancũ, & inchoatã sentẽtiam. vt, *Rerum omnium præpotens Deus. Qui non laborat.* Perfecta: plenum habens sensum expletamq; sententiam. vt. *Deus est propitius. Hominis mens discendo alitur.* } Oratio imperfecta. Perfecta.

Perfecta, alia est { Non enuncians: quæ licet perfectum gignat sensum in animo audientis, non tamen verum aut falsum designat. vt, *Dum vires, anniq; sinunt, tolerate labores.* Enuncians, quæ verum, falsumve complectitur. vt, *Pectora sunt potiora manu.* Estq; ea Dialectica secundo huic libro destinata. } Non enuncians. Enuncians.

Non enuncians, alia est {

Deprecativa, vt { *Christe potens nostræ condona crimina vitæ.*
O magne Olympi rector, & mundi arbiter,
Jam statue tandẽ gravibus ærũnis modũ, finẽq; cladi.
Da pater augustam menti conscendere sedem:
Da fontem lustrare boni da luce reperta,
In te conspicuos animi defigere visus. }

Imperativa vt { *Ibone, quò virtus tua te vehit.*
Sit erranti medicina confessio.
Vive memor quàm sis ævi brevis. }

Interrogativa, vt { *Florentes quondam luxus quas verterit vrbes?*
Quid enim nisi vota supersunt?
O mores, vsq; adeone scire tuum nihil est, nisi te scire (hoc sciat alter? }

Optativa, vt { *O mihi præteritos referat si Iupiter annos.*
Votum secundet, qui potest, nostrum Deus. }

Vocativa, vt *Hùc pater ô Lenæe veni.* }

Non enuncians quintuplex.

Quorum vsum omnium, quoniam nulla in eis neque veritas, neque falsitas perspicitur Oratoribus & Poëtis concedentes: Enunciantem tanquam Dialecticorum propriam nostro quasi iure vendicamus.

g. Enuncians autem, alia, { Vna. Multæ. } Enunciatio, Vna. Multæ.

Enuntiatiò vna, alia est { Simplex, sive Categorica: Coniuncta seu hypothetica: qua de posteà dicetur. } Vna. 3. Cap. 11.

Quæ quidem vnę propterea dicuntur, quòd in illis vel vnũ prędicatum de vno dicitur subiecto: exempli causa, *Virtus est mediocritas*, vel plura de vno, pluribúsve, quæ tamẽ coniunctione aliqua tacita vel expressa inter se connexa, vna fiunt; verbi gratia: *Nunquã sincera bonorum sors vlli est concessa viro; quem vultus honestat, dedecorans mores. Nec forma æterna est, nec fortuna perennis.* Vna vnde dicitur.

Enunciatio autem multæ, sive multas complexa, est, cuius vel pars aliqua ambigua enunciationes multas efficit: multiplicẽ reddendo propositionem: vt, *lupus adest*: etenim vox ancipitis notionis, ac potestatis dubiæ, pro varietate significationis pro- Multæ vnde.

positio-

positiones constituit, vel, quæ eiusmodi coniunctione caret: vt, *Sola noces animis illapsa voluptas: Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris circa te semper volitans infamia pennis. Optima quæq; dies miseris mortalibus ævi prima fugit: subeunt morbi, tristisq; senectus, & labor: ac duræ rapit inclementia mortis.*

Quomodo autem enunciatio vna, & simplex: multæ, & coniuncta differant: ex subiectis exemplis liquebit. Etenim Enunciatio vna, & non simplex est, *Socrates docet, & Plato scribit*, Simplex contrà, & non vna (re nimirum, attamen voce) *Canis latrat, Plato est Philosophus Atheniensis*. vna pariter, & simplex (re & voce simul) *Petrus est homo*. Similiter Enunciatio [multæ] & non composita est; *Canis latrat. Plato est Philosophus Atheniensis*. Composita, & non multæ: *Socrates docet, & Plato scribit*. Composita pariter, ac multæ: *Joannes studet, Petrus orat.*

Pura.

h. Simplex, sive Categorica, alia dicitur { Pura, seu absoluta: vulgò de inesse: in qua nullus modorum: possibile, contingens, impossibile, necesse (de quibus posteà) invenitur. vt, *Vires adimit veneris damnosa voluptas.* Modificata: in qua modorum aliquis reperitur. vt, *Omne coagmentatum, aliquo tempore dissolvi necesse est.* }

Modificata.

Propositio { Ab Aristotele, λόγος ἀποφαντικὸς, vel, ἀπόφανσις, id est, enunciatio, seu enunciativa oratio; A Cicerone, effatū, enunciatū enūciatio, pronunciatum, vel propositio; A Varrone, proloquium; A Stoicis, ἀξίωμα } nominatur.

Propositio quibus effertur nominibus.

Propositio implicita ex vnica interdum voce. Idem sensus in explicando remanere debet.

i. Propositio, quæ est oratio verum, vel falsum significans: si fuerit implicita, ex vna tantùm voce primæ, aut secundę personæ, nōnunquam etiam tertiæ, vbi res certa possit intelligi, constare poterit. vt, *lego, scribis, pluit, adest.* Ac facilè interdum explicari potest, verbum adiectivum in substantivum solvendo: præsertim in verbis, vt vocant personalibus: veluti, *lego*, id est, *ego sum legens, scribis, tu es scribens.* At vero in impersonalibus, & substantivis quibusdam verbis compositis; velut, *ningit adsum*, & similibus non perinde facilè. verùm de his Grammaticos potius consulas. Atqui in propositionibus implicitis explicandis, illud inprimis videndū erit, vt idem prorsus sensus remaneat, non enim idem declarant: *hic puer suaviter canit.* & *hic puer est suaviter canens*, cùm illic habitus, hìc verò actus intelligatur.

Subiectū, 3.

k. Subiectum, trifariam dicitur { 1. Artis, aut scientiæ alicuius: nimirum materia quam tractat, & in qua versatur. 2. Accidentis: de quo alias. 3. Propositionis: quo de in præsenti agitur. }

l. Sub-

I. Subiectum, non semper antecedit copulam scriptione, aut elocutione sed pro structura sermonis elegantiore nunc anteverit eam, nunc verò subsequitur Semper autem Syntaxeos, & constructionis ordine præponitur: cum sit verbo principali casus nominativus. Verbi causa: *Regum pernicies est adulatio*: constructionis ordo est: *Adulatio est pernicies regum*. Ab alijs, subiectum, de quo aliquid dicitur: prædicatum vero, quod de altero: definiri solet. Subiectum quomodo antecedit copulam.

m. Verbum substantivum *Est*, in propositionibus accipitur interdum,

Κατηγορηματικῶς. Hoc est, vt quam maximè ad captum & intelligentiam sermonem accommodé, atq; vt planissimè & significantissimè vim verbi exprimam: prædicativè & positivè: loco nimirum prædicati aliquid absolutè ponendo, seu denotando, in, vel circa subiectum, vt in hac enunciatione: *Mortui sunt*. diciturque secundum adiacens. Verbum substantivũ, Est, Secundum adiacens.

Προσκατηγορηματικῶς. quando licet nihil quidem ex se absolute ponat, eius tamen energia prædicatum quodammodo afficit, in eoque intelligitur. quemadmodum in enunciatis contingentibus cuiusmodi est: *Mortui sunt miseri*. Et tertium adiacẽs nominatur. Tertium adiacens.

Συγκατηγορηματικῶς. nullo planè dictorum modorum, sed in ordine tantùm prædicati ad subiectum: sicut in pronunciatis necessarijs: vti in hoc. *Homo est animal*. In ordine prædicati ad subiectum.

Ab, *est*, tertio adiacente, ad, *est*, secundum adiacens, in enunciationibus contingentibus, rectè concluditur. vt, *Si mortui sunt miseri, ergo mortui sunt*. Atqui vero in pronunciatis necessarijs, non item. Non enim necessario infertur: *Homo est animal, ergo homo est*. Ab Est tertio adiacente ad Est secundum adiacẽs quomodo cõcluditur.

Circa prædicta duo occurrunt enodanda, vnum: cur, *est*, vocetur tertium adiacens, cùm præsertim secundum in propositione locũ occupet. Alterum, qui fit, quod ab, *est*, tertio adiacente, ad, *est*, secundum adiacens, argumentatio sequatur in enũciationibus contingentibus, non autem in pronunciatis necessarijs. Dubia duo.

Primo igitur ad primũ respondendo, dicitur: respectum non haberi ad collocationem, sed intelligendi ordinem, quo primò occurrit subiectum, secundò prędicatum, tertiò copula eorumq; dignitatem: nam in ratione materiæ propositionis, extrema, subiectum videlicet & prædicatum, habentur partes principales: copula vero minus principalis. Quo fit, quod tertium quasi quodammodo in propositione locum obtinere censeatur. Deinde vero ad secundum: quòd accidentia, quæ in concreto de subiectis prædicantur, requirunt subiectorum actualem ac realem existentiam, & individuationem. Etenim accidens, vt accidens, non potest de eo affirmatè dici, cui non verè inest: neq; vlli prorsus convenire subiecto Resp. ad 1. Resp. ad 2.

iecto vniversali, in cuius aliquo singulari reipsa existente, primo & principaliter inhærere non inveniatur. Ex quo singulari sive individuo, rectè inferuntur, quæcunque ipsum necessario consequuntur. Quod genus inprimis sunt eius species atque genera. vnde, *si homo est doctus*: doctrina sit vel in Petro, vel Ioanne, vel aliquo singulari homine, necessum est Nam si in nullo singulorum (in quibus primo & principaliter inesset) nec in homine quidem. Quod si in Petro, vel Ioanne, vel quopiam insit (cum posito accidente, necessario ponatur & subiectum) certè vel Petrus, vel Ioannes, vel quispiam erit. Et si Petrus, vel Ioannes, vel quispiam hominum sit: & homo erit. Quo circa ab, *est*, tertio adiacente, ad, *est*, secundum adiacens, in propositionibus contingentibus ritè concludimus: vt, *Si homo est doctus, ergo homo est*. At nō perinde in enunciatis necessarijs quorum attributa ad se sustinenda, velut accidentia, non requirunt subiectorum realem subsistētiā. Quippe quæ, vel ipsa ex se subsistunt. vel toti generi in sua natura communi nō existenti, prius, & principaliùs conveniunt, quàm eius individuis reipsa existētibus: & hisce demum, quia illi priùs. Nam quia homo est animal, ideò Petrus, & Ioannes, & quilibet homo est animal. Non è contrario: quia Petrus, vel Ioannes, vel quilibet alius est animal: idcirco homo est animal Quod contrà fit in communibus accidentibus quæ primò & præcipuè conveniunt rebus singulis: deinde minus principaliter ipsis vniversis. Non enim quia homo dicitur iustus; propterea Petrus, vel Ioannes vel quispiā hominum est iustus: Verùm ex contrario, quia Petrus, vel Ioannes, vel quispiam hominum est iustus idcirco homo dicitur iustus. Sic igitur pressiùs: Quando dicimus *homo est iustus*, & *homo est animal*: iustus quidem de homine dicitur respectu individuorum necessariò existentium: animal verò ratione speciei, quæ non existit. Quo fit, quòd rectè inferatur: *homo est iustus, ergo homo est*, Non autem: *Homo est animal, ergo homo est*. Quoniam in illa necessariò requiritur existentia subiecti: in hac verò, nequaquam. Atq; hæc hactenus de, *est*: nunc ad reliqua pergamus, si priùs admonuerimus verbum, in omni enūciatione tā de secundo quam tertio adiacente, quatenus significat, prædicatum: quatenus verò vnit, copulam censeri. Atqui verò in enunciatione de secundo adiacente haberi prædicatum totale: in propositione autem de tertio adiacente prædicatum tantùm partiale.

Signa & notę

Signa, & negationum notæ non sunt in extremorum partibus habenda.

Propositio dividitur trifariam.

Principio, trifariam dividitur propositio. Primum, secundū naturam & substantiam in simplicem, & coniunctam. Deinde, secundum quantitatem in vniversalem, particularem, indefinitam, & singularem. Tum, secundùm qualitatem vel vocis: in affirmativam, & negativam: vel rei; idq; bifariam: Primùm, in veram & falsam deinde,

de, in necessariam, contingentem, & impossibilē. Hinc triplex nascitur interrogatio. Quæ, Quanta, & Qualis. Qua sciscitamur substantiam, quantitatem, & qualitatem cuiusque propositionis. Nam,

Triplex interrogatio.

Quæ? Ca. vel Hyp. Qualis? Ne vel aff. Quăta? vni. par. In. Sing hoc est, Quæ quærit, sitne categorica an hypothetica. Quanta, vniversalis, particularis indefinita, an singularis. Qualis, negativa, an affirmativa. Posteà subiūgimus, qualis affirmativa, vel negativa. Num vera, an falsa? Tum, qualis vera, vel falsa? Necessariáne, cōtingens, an impossibilis? Atq; ita demum interrogare desinimus.

n. Prædicatum affirmatur de subiecto, quando principali verbo nulla præponitur negationis nota vt in hac: *Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.*

Prædicatum quando dicitur affirmari, quando negari.

o. Negatur autē, quando verbo principali negationis nota præfigitur. vt hic: *Non minor est virtus, quàm quærere parta tueri.* p. Ac verbum quidem principale dicitur, quod sensum absolvit, & orationem perficit. vt in his *Exeat aula qui volet esse pius. Quicquid in altū fortuna tulit, ruitura levat:* principale verbum voco, quod in illa quidem, primò; in hac verò postremo loco collocatur. Sed quandoq;, vt diximus, non exprimitur veluti in sequentibus: *Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris, auctorem nescire suum. Famam extendere factis, hoc virtutis opus.*

Verbum principale.

Affirmatio alia dicitur { Simplex. vt, *homo est iustus.* | Privatoria. vt, *homo est iniustus.* }

Pari ratione Negatio alia dicitur { Negans. vt, *homo non est sapiens.* | Privans. vt, *homo est insipiens.* }

Affirmatio, Simplex. Privatoria. Negatio. Negans. Privans.

q. Subiectum vniversaliter capitur, quando accipitur pro vniversis & singulis quæ sub ipso continentur. hoc autem fit, quoties cōmune est, & signum habet vniversale præpositum.

Subiectum quando vniversaliter capitur.

r. Particulariter: quando pro vno aliquo, vel aliquibus, sed non pariter pro omnibus suis inferioribus. Atque hoc fit, quoties commune est, & signum præcedit particulare.

Quando particulariter.

Signa vniversalia sunt. *omnis, quisque, vnusquisque, quisquis, quicumq;, totus, cunctus, vniversus. quotquot, vterq;, quis non, nullus, nemo, neuter, & eiusmodi.* Signa particularia sunt, *vnus, alter, aliquis, quidā, quilibet, quivis, quispiam, vllus, vtervis, nonnullus, alter vter,* & similia. De quibus Thomas Linacer Anglus, de Emendata structura Latini sermonis, in hunc modum. Nomen vniversale est, quod totā naturam eius, cui additur, verbo subijcit: vt, *Omnis, cunctus, nemo, nullus nihil.* Idem faciunt aliquando & infinita ea quæ ex simplicibus interrogativis fiunt vel geminatis. vt, *quisquis, qualisqualis, quātusquātus, quotusquotus, vter vter, quotquot:* vel adiectione, *cūq,* vt, *quicūq, qualiscūq, quātuscūq, quotcūq, quotuscūq;* vocentur autē vniversalia infinita. huc quodāmodo referātur *vniversus,* & *totus:* quorū *totus* ad quantitatē continuam, sicut *omnis* ad discretam refertur. *vniversus*

Signa vniversalia. Signa particularia. Nomen vniversale.

pro

pro *simul totus*, vel *simul omnis* accipitur.

Nomen particulare.

Particulare autem nomen est, quod appellativi, cui additur, partem aliquam non totam eius naturam verbo subijcit. vt, *aliquis quisquam, quispiam, vllus, quidam* Quorum postremo, rem nobis aliquo modo certam incertè significamus. Reliquis vero, rem tanquam nobis etiam incertam, incertè pronunciamus. Diversi ab his generis particularia sunt, nec nomen adhuc sortita, *quilibet*, & *quivis*: significant enim propriè vnum è multis, sed indifferenter hunc, vel illum. vocentur autem si libet, particularia infinita. Additur his *alteruter*: quod vnum simili ratione ex duobus significat. Hactenus ille.

Quando singulariter

s. Singulariter vero, quando pro vno tantùm singulari, eoq; certo: hoc autem fit, quoties subiectum est vox singularis: sive signum aliquod præponatur, sive non. Nam signum vi sua non efficit vniversalem, aut particularem propositionem: verùm subiecto communi præpositum vniversalem, aut particularem tribuit ei acceptionem, hoc est, facit subiectum commune vniversaliter aut particulariter esse accipiendum. Ex quo sequitur vniversalem, aut particularem illam esse propositionem, verùm si subiectum sit individuum & singulare de signo nihil refert: qualecumq; enim signum ipsum antecedat, semper erit singularis propositio. huc spectant enunciationes quæ vocantur collectivæ quamvis propter signum vniversalitatem quandam præ se ferre videantur. Cuius generis sunt: *Omnes sapientes Græci fuère septem. Omnes digiti vnius manus sunt quinq; Omnes Apostoli fuerunt duodecem.* Collectivas propositiones voco, in quibus nota vniversalis collective non divisive sumitur vt in præcedentibus exemplis est videre: neque enim Solon seorsum separatimque fuit septem: aut pollex, quinque aut Petrus, duodecem: sed omnes pariter coniunctéque sumendi sunt.

Vis signi.

Enunciationes collectivæ.

Quando indefinite.

t. Indefinite autem, sive dubie atque incertè subiectum sumi dicitur, quando est commune, & nullum signum antecedit. Indefinita propositio in materia necessaria, aut remota, semper cum vniversali conspirat: Nam idem est dicere: *virtus est mediocritas*: & *omnis virtus est mediocritas: homo non volat: & nullus homo volat.* At in materia fortuita ac contingenti, particularis vim obtinet: nam perinde est dicere, *animal respirat* &, *aliquod animal respirat.* Sin autem de re singulari sermo instituatur; singularis propositionis sensum habere videtur: vt, *homo adest*, si prius de aliquo fueris loquutus.

Quando prędicatum necessario convenit subiecto.

v. Prædicatum necessario convenit subiecto, quando est genus, species, differentia, proprium, aut definitio.

Absoluta quæ ex causis proximis proficiscitur necessarijs: & contingentiæ opponitur; diciturque necessitas consequentis. vt huius, **Homo est animal.**

Duplex

Duplex potest esse necessitas alicuius propositionis, aut { Conditionata, sive ex hypothesi ac suppositione: quæ ex causis nascitur proximis nequaquam omnino, & absolutè necessarijs sed planè contingentibus: Diciturq; necessitas consequentiæ: vt istius, *Socrates currens movetur*: Dato enim quòd currat Socrates: necessariò sequitur quòd moveatur. Itaq; multæ sunt consequentiæ necessariæ, quarum consequens est contingens. Necessitas duplex.

2. Extrema nulla necessitate cohærere censemus, quoties prædicatum est accidens: sive illi vni contingat subiecto, sive pluribus: sive rarò, sive sæpiùs, sive plurimum. Nota hic aliud esse propositionem contingentem, aliud de contingenti: non enim est de contingenti, nisi habeat modum, contingens. puta, hæc est contingens: Homo est doctus. Ista verò de contingenti. Contingit hominem scribere. Quando extrema nulla necessitate cohærent.

CAP. IIII. De Quæstione.

Propter cognationem quam cum Propositione habet, visum est Quæstionē illi subiungere. Sunt enim pares numero. Nam & ex omni Propositione interrogationis nota adiecta fit quæstio: & vicissim ex omni Quæstione, eadem adempta, Propositio. vt in his: An cum fortuna statque caditque fides? Num gratis pœnitet esse probum?

Est autem Quæstio, oratio cum interrogandi signo elata. vt, Fitne cōditio dulcis sine pulvere palmæ? Numquid didicisse fideliter artes emollit mores? Quæstio quid

Et Quæstionis quidem, sicut Propositionis, duo sunt genera, {
Vnum simplex: cùm de vno quæritur. vt, An sine doctrina vita est quasi mortis imago? Simplex.
Alternm coniunctum, seu copulatum: quod ex integra constat oratione, res duas pluresve complectente. vt, vtrum laudare se, vani: vituperare, stulti est? Coniuncta.
}

Quæstiones autem simplices primariæ sunt quatuor: { Quæstiones quot.
1. *An res sit.*
2. *Quid sit.*
3. *Qualis sit.*
4. *Quamobrem sit.*
}

Sunt qui ennumerant quæstiones decem; videlicet {
1. *Quid vocabulum significet.*
2. *An res sit.*
3. *Quid res sit.*
4. *Quæ sint rei partes.*
5. *Quæ sint species.*
6. *Quæ causæ.*
7. *Qui effectus.*
8. *Quæ adiacentia.*
9. *Quæ cognata.*
10. *Quæ pugnantia.*
}

Plu-

Plures quoque excogitari possunt, sed non est huius instituti: & omnes ad illas quatuor principales referri poterunt.

Quæstio, Vniversalis Particularis Indefinita Singularis Necessaria Fortuita. Incredibilis

Rursum dividitur in { *Vniversalem. Particularem. Indefinitam. Singularem.* } *Præterea in* { *Necessariam. Fortuitam. Incredibilem.* }

Nulla affirmativa aut negativa, nec vera vel falsa.

Nec puto ullas præterea Propositionis *divisiones Quæstionem recipere. Nam, qui quærit, nihil affirmat, aut negat: nec verum dicit, vel falsum. Quod hinc intelligi datur:*

Parnè est fortuna labori, necne?

CAP. v. De Suppositione.

Suppositio Subiectũ in quacunque propositione Prædicatum in vniversali affirmativa. In vniversali, partic. & sing. negativis. Exempla

Q*Vod ad* [a] *Suppositionem, quæ est significationis terminorum in Propositione acceptio, attinet, diximus subiectum semper capi in universali universaliter, in particulari particulariter, & in singulari singulariter.*

P*rædicatum vero, in universali affirmativa* [c] *immobiliter supponit, &* [b] *confusè capitur. In particulari, ac singulari affirmativis, particulariter: nisi sit singulare.*

In universali, particulari, & singulari negativis, universaliter: nisi fuerit singulare. vera est igitur universalis affirmativa, cùm prædicatum omnibus, & singulis sui subiecti singularibus convenit: negativa, quando nullis. P*articularis est vera, quando prædicatum verè affirmatur de aliquo, vel aliquibus eorum, quæ in subiecto continentur: aut negatur, si sit negativa. Singularis affirmativa vera est, quando extrema conveniunt. Negativa quando non conveniunt: Exempla hæc sunto:* Omnis homo equitat: *non erit hæc vera nisi vnusquisque hominum equitet: falsa, si Cæsar, vel vllus alius non equitet. Et hæc.* Aliquis homo pingit: *vera erit, si Apelles, Zeuxis, aut vllus pingat falsa, quando nemo pingit. Item hæc:* Petrus currit: *currente Petro vera est. non currente autem, falsa.*

Nota

Notandum est [d] *maiorem esse vim in universali quàm in particulari & in negatione quàm in affirmatione.*

D*enique universalia pronunciata tum in ascensu, tum in descensu coniunctionem copulativam assumunt: particularia vero disiunctivam.*

Versiculi ista complectentes.

A, prius extremum reddit generale: sed alterum.
Semper confundit generale, E, reddit vtrumque,
Particulariter, I, quicquid sibi sumit, habebit.
Particulare prius facit, O, generale secundum.
Pro solo & certo, discretum, sumitur vno.

COM-

Comment. ad Cap. V.

a. Triplex est acceptio, seu suppositio vocum.
- Technica, sive materialis pro ipsa nuda voce. vt, *animal*, est nomen neutrius generis.; *homo*, est nominativi casus. — Acceptio seu Suppositio trip. Technica.
- Simplex seu, vt alij nominant, copulativa: pro natura sua communi. vt, *homo est species animalis, frumentum est genus. Candor est accidens.* — Simplex.
- Personalis & significativa: pro se, suisque suppositis. vt, *fraxinus non facit fructum.* — Personalis.

Acceptio personalis & significativa, alia est
- Cõmunis, quãdo vox aliqua pro multis accipitur. vt, vtrũq; extremũ istius enũciacionis. *Homo est animal.* — Communis.
- Discreta: quando vox aliqua pro vno individuo & singulari sumitur. vt, subiectum huius: *Sequitur superbos vltor à tergo Deus.* — Discreta.

Communis, alia
- Vniversalis: pro omnibus. — Vniversalis.
- Determinata: pro vno aliquo, vel aliquibus. — Determinata.
- Confusa: pro multis. — Confusa.

Vniversalis est, quando vox communis sumitur vniversè pro omnibus suis inferioribus per coniunctionem copulativam enumerãdis: vel, vt singulis generum, sicut subiectum in hac enũciatione: *Omnis homo est animal*: vel, vt generibus singulorũm: Sicut subiectũ in hac: *Omne animal fuit in arca Noæ* . Sensus quippe est: & hic homo est animal, & iste, & ille & sic de singulis. Et hoc genus animalis fuit in arca Noe, & istud, & sic de cæteris omnibus. — Vniversalis.

Determinata dicitur, quando vox communis capitur pro suis inferioribus disiunctivè tantũm sumptis: ita vt ratione vnius eius suppositi vera reddi possit oratio, velut subiectum in hac enunciatione: *homo currit*: vel, *aliquis homo currit*: vera enim est oratio, si Petrus, vel Ioannes, aut quispiam currat. — Determinata.

b. Confusa est, quando vox communis neque vniverse pro omnibus suis inferioribus, neque pro vno quopiam singulari disiunctivè sumitur: sed pro multis, vel, ex necessitate signi subiecto præpositi, vt in contigentibus: vel, ex necessitate rei, vt in essentialibus: sicuti prædicatum in his: *Omnis homo est doctus*: *Homo est animal*. — Confusa.

Vox communis interdum sumitur confusè & disiunctim; quoties nimirum sua inferiora & denominata speciatim denotans, vniversalem alterius vocis acceptionem sequitur. veluti prædicatum huius pronunciati: *Omnis homo est animal.* Interdum confusè & copulatim: in propositionibus videlicet collectivis, cuiusmodi sunt: *Omnia elementa sunt quatuor*: *omnes scientiæ liberales sunt septem.* — Confuse & disiunctim. Cofuse & copulatim.

Omnis vox communis speciatim accepta, si vniversalem alterius vocis sequatur acceptionem, confusè accipitur: aliàs determinate. vt confuse accipitur prædicatum huius enunciationis. *Omnis elephas est animal*. Determinate verò accipitur vtrumq; extremum — Regula.

istius: *Quidam Pæni sunt perfidi.* Subiectum preterea exclusivæ enunciationis, confuse sumitur vt in his: *Solus homo est virtute præditus. Omne animal est rationis expers præter hominem. Solus est homo amico amicus. Solius temporis honesta avaritia est. Virtute qui præditi sunt, soli sunt divites.*

Distributive. Immobiliter. c. Prædicatum, in enunciatione vniversali affirmativa, neutiquam distributive, veluti subiectum; sed immobiliter plane supponit: quia distribui, vel moveri nequit per descensum sub eo ad eius singularia: vt in hoc exemplo: *Omnis homo est animal*: non recte movetur animal distributive descendendo, ad hunc modum: *ergo omnis homo est hoc animal, vel hoc, vel hoc, &c.* Quemadmodum subiectum eiusdem propositionis recte distribuitur, seu movetur sic: *Omnis homo est animal: ergo & hic homo est animal, & ille, & quisq; hominum.* Confuse. Confuse verò capitur: quoniam accipitur indeterminate pro multis, omnibus videlicet subiecti sui suppositis vigore signi eidem præfixi.

Vis notæ sive signi. d. Maiorem vim esse in nota vniversali quàm particulari, clarū est omnibus. & in negatione quam in affirmatione, hinc liquet, quia negatio vniversalis facit vtrumque extremum vniversaliter sumi; affirmatio autem vniversalis alterum, nimirum subiectum tantùm: itaque maior vis est in negatione quam in affirmatione, in vniversalibus. Negatio autem particularis facit alterum scilicet prædicatum vniverse capi; affirmatio verò neutrum: ergo etiam in particularibus maior vis est in negatione quam in affirmatione.

Ascensus dialecticus. Ascensus dialecticus, est à singulis ad vniversum, aut magis saltem vtcunque commune progressio: hoc pacto: *Laus fortitudinis in actione consistit: & laus liberalitatis in actione consistit: nec non iustitiæ, & affabilitatis, cæterarumq; virtutū, ergo omnis laus virtutis in actione consistit.* Item. *Fortuna vel hunc indignum auget honoribus, istum vel illum, & sic de aliis: ergo aliquem indignum auget honoribus.*

Descensus. Descensus contrà, à voce quapiam communi in enunciatione posita, ad eius enumerationem singulorum; In hunc modum: *Omnis virtus nos ad se allicit: ergo & temperantia nos ad se allicit: & mansuetudo, & veritas, & modestia, pariq; ratione cæteræ.* Similiter. *Aliquod ingenium est preciosius auro: ergo; aut Platonis, aut Aristotelis, aut Carneadis, aut alterius cuiuspiam ingenium est pretiosius auro.*

Vniversalia. Vniversalia pronunciata tam in ascensu quàm descensu copulationem assumunt: particularia autem disiunctionem: vt in contextu est dictum.

A.	Enunciationem generalem aientem	notat.
E.	Generalem negantem	
I.	Specialem aientem	
O.	Specialem negantem	

Prius subiectum: alterum, & secundum prædicatum: vtrumque, tā sub-

subiectum quàm prædicatum designat.

Generale, id est, universaliter sumi, capi, vel supponere.

Particulare, particulariter. Discretum, est singulare, sive individuum.

Asserit A. negat E. sed universaliter ambæ:
Asserit I. negat O sed particulariter ambo.

CAP. VI. De Oppositione, seu pugna Propositionum.

Oppositio propositionum est duorum repugnantia pronunciatorum, quæ eodem subiecto, ac prædicato constant. Oppositio.

Pugnant autem propositiones, aut.
Sola qualitate. vt contrariæ, & subcontrariæ
Quantitate duntaxat: vt subalternæ.
Vtraq; simul. vt contradicentes: nisi fuerint singulares; quæ quantitate pugnare nequeunt.

Contrariæ. sunt duæ universales; quarum altera ait quid, altera negat. vt, Omnes deteriores sumus licentia; Nulli deteriores sumus licētia Contrariæ.


Subcontrariæ. duæ particulares: hæc aiens, illa negans: vt, Aliqua cūctatio nocet: Aliqua cunctatio non nocet. Subcōtrariæ.

Contradicentes, sunt universalis & particularis quarum altera affirmat, altera negat. vt, Omnia amicorum sunt communia: Quædam amicorum non sunt communia. *vel duæ singulares: vt,* Cæsar fuit tyrannus: Cæsar non fuit tyrannus. Contradicentes.

Subalternæ, sunt universalis, & particularis pariter aientes, aut pariter negātes. vt, Omnis amor nescit modū: Aliquis amor nescit modū. Subalternæ.

TABVLA REPVGNANTIÆ.

Omnis copia fastidium parit. Contrariæ. *Nulla copia fastidium parit.*



Aliqua copia fastidiū parit. Subcōtrariæ. *Aliqua copia fastidiū nō parit.*

Propositionum repugnantium leges.

Leges repug. contrariæ.

Contrariæ ambæ veræ nunquam: falsæ vero interdum esse possunt, in contingenti materia. vt, Omnis qui petit magistratum, est coaptandus: Nullus qui petit magistratum, est coaptandus. *Nam si simul possint esse veræ: tunc duæ Contradictoriæ simul essent veræ: cùm ex veritate universalis, rectè infertur veritas particularis.*

Subcontrariæ falsæ nunquam pariter inveniantur: sed veræ quandoq;

doq; in contingenti materia. vt, Aliquis petens magistratum, quæstui est habiturus rempublicam: Aliquis petens magistratum, quæstui non est habiturus rempublicam. *Quia si possent simul esse falsæ; duæ Contradictoriæ simul essent falsæ: cum ex falsitate particularis rectè infertur falsitas universalis. Suntq; oppositæ secundum vocem tantum, non secundum rem: quia non sunt eiusdem subiecti.*

Contradicentes.

Contradicentes pugnant acerrimè, nec vnquā simul aut veræ esse possunt, aut falsæ. vt, Omnis honoris petitio est ambitiosa: Aliqua honoris petitio non est ambitiosa. *Eadem est & repugnantiæ singularū ratio. vt,* Ciceronis petitio consulatus fuit ambitiosa: Ciceronis petitio consulatus nō fuit ambitiosa. *Sed una semper vera est, altera falsa, sive res sint sive non sint: etiam in futuris contingentibus; licet non determinate: quia in futuris non datur causa determinata ad talem effectum, sicut in præsentibus, & præteritis.*

Subalternæ sola quantitate discrepantes, ac nulla alia ratione dissentientes, hunc servant ordinem: vt existente universali vera, vera sit & eius particularis: falsa autem particulari, falsa quoq; sit & eius universalis. vt, Omnis honos alit artes: Aliquis honos alit artes. Aliqua virtus possessorem suum non efficit meliorem: Nulla virtus possessorem suum non efficit meliorem.

Animadversios

Verùm in tota hac enunciationum, discordia diligenter videndum est an ijdem in repugnantibus termini eodem modo significent, & de eodem loco, eodemq; tempore intelligantur. Non. n. verè vllo oppositionis nomine pugnant propositiones, nisi idem prædicatum dicatur de eodem subiecto nō ambiguè aut æquivocè, ad idem, secundùm idem, eodem modo, tēpore eodem, secundùm eundem locum, & si quæ alia requirantur.

CAP. VII.

De Æquipollentia sive æquivalentia, vt loquuntur, propositionum, quàm ἰσοδυναμίαν Græci nominant.

Æquipollentia.

ÆQuipollentia est quarundam propositionum, verbis non nihil discrepantium, idem plane sensus, eadēq; significatio. vt, Non omne quod libet, facere victori licet, &, Aliquid, quod libet, facere victori non licet. *Item,* Semper nocuit differre paratis, &, Nunquam non nocuit differre paratis. Non omnis novitas non est grata, &, Aliqua novitas est grata. *Pro ratione collocationis negationis notæ. Nam,*

Præ, Contradict. post, Contrar. præ, postq; Subaltern. *Hoc est,*

Regula.

Negatio signo præposita, facit propositionem æquipollere suæ contradictoriæ: Postposita verò, suæ contrariæ. Præposita pariter ac postposita, suæ subalternæ. Exempla cuiusq; modi, atq; ordinis, hæc sunt:

Præ. 1. Non omnis, qui te blandè alloquitur, est amicus, *id est,* Aliquis qui te blandè alloquitur, non est amicus.

Non nihil desideratur, *id est,* aliquid desideratur.

Non potest quisquam simul sorbere & flare, *id est,* nullus potest simul sorbere & flare.

Post,

Post, 2. Omnis spurcus sermo nō procedat de ore vestro, *id est*. Nullus spurcus sermo procedat de ore vestro. Nemo non sibi meliùs mallet quàm alteri, *id est*, Quisque sibi meliùs mallet quàm alteri. Nulli non sua forma placet, *id est*, omni.

Præ, *postque*. 3. Non omne bellum non est invtile, *id est*, Aliquod bellum est invtile.

Nonnulli homines nō sapiunt, *id est*, Aliqui homines nō sapiunt.

Negatio postposita in particulari non facit eam æquipollere suæ contrariæ; quia contrario nomine nulli respondet. Nec in particulari solet negatio geminari.

Si in aliqua propositione duo signa generalia negantia ponantur, quorum alterum ad subiectum, alterum ad prædicatum refertur: Prius contrario: posterius, contradictorio suo æquipollet. vt, Ex nihilo nihil fit. *id est*, Omne fit ex aliquo. Nemo nunquam fallitur. *id est*, Omnis homo quandoque fallitur. *Attamen apud auctores Græcos, interdum etiam Latinos, duplex negatio fortiùs negat.* Regula.

COMMENT. AD CAP. VII.

1. ÆQuipollentia alia est { Dictionum: quæ est plurium dictionū eadem significatio. vt, *Nonnihil*, & *aliquid*. *Nihil non*, & *omne*. / Orationū, quę est pluriū propositionum idē sensus. vt, *Nulli non ingratū odio prosequuntur*: &, *Omnes ingratum odio prosequuntur*. } Aequipollentia dupl.

Nam propositiones æquivalentes, Grecè ἰσοδυναμοῦντες, id est, parem atque æqualem potestatem habentes, eæ sunt, quæ verbis nōnihil descrepantes, eandem prorsus vim obtinent, idemq; valent.

Contrà interdum ac præcepimus, est videre, sed raro: nec verò quando, aut quoties, vlla generali regula doceri potest. Multa, quę ad hunc locū pertinent, ex bonis auctoribus petenda relinquimus: Optima quippe loquendi magistra probata Latini sermonis consuetudo haberi debet. Optima loquendi magistra.

CAP. VIII.

De Propositionum conversione.

Conversio propositionis, est [b] *apta extremorum commutatio.* Conversio.

Alia est { *Aequalis: in qua eadem manet quantitas.* Aequalis. / *Inæqualis: in qua quantitas mutatur.* Inæqualis. }

Aequalis alia est { *Simplex.* / *Per contrapositionem.* } Aequali dupl.

[c] *Simplex conversio dicitur, quando extremis altero in alterius locum migrantibus eadem servatur quantitas. Ita vertitur, E. I. vt*, Nulla ambitio est virtus: Nulla virtus est ambitio. Aliqua largitio est vitium: Aliquod vitium est largitio. Simplex.

Per contrapositionem. *Conversio per contra positionem vocatur, quando eadem manente quãtitate, termini finiti in infinitos transmutantur. Ita vertitur, A O, vt,* Omne honestum est laudabile: Omne non laudabile est non honestum. Aliquod bellum non est vtile. Aliquod non vtile non est non bellum. *neq; aliter convertitur particularis negativa; quia procederetur à non distributo ad distributum.*

Inæqualis. [d] *Inæqualis autem conversio, quam quidam per accidens, quidam attenuatam nominant, est, quando transpositis terminis, minuitur quantitas. Ita vertitur: A E: vt,* Omnia pulchra sunt difficilia Aliqua difficilia sunt pulchra. Nulla perseverantia est pertinacia: Aliqua pertinacia non est perseverantia.

Regula. *In convertendis propositionibus semper eadem qualitas debet remanere: Non enim debet affirmativa in negativam, aut vera in falsam, aut deniq; necessaria in contingentem converti.*

COMMENT. AD CAP. VIII.

Conversio, quotuplex.

Cõversio, alia est
- Rerum qua vnum corpus mutatur in aliud. vt aqua in aërem: vinum in acetum.
- Vocum
  - Simpliciũ,
    - Reciprocantium: vt hominis & risivi.
    - Collatarũ: vt domini & servi
  - Coniunctarum, seu propositionum: qua de in præsenti loco agitur.

Apta extremorum commutatio. b. Aptam extremorum commutationem dicimus, quando ita commutantur, vt leges postulant.

c. Vniversalis affirmativa poterit converti simpliciter, quando constat terminos esse reciprocos; alias non: quia procederetur à non distributo ad distributum ex parte attributi prioris propositionis. v. g. *Omnis homo est animal, ergo omne animal est homo.*

d. Vniversalis etiam negativa potest inæqualiter (vt diximus) verè converti: sed quoniam semper simpliciter & æqualiter convertatur; frustrà converteretur inæqualiter. Satius quippe est dicere: *Nullus amicus est assentator; nullus assentator est amicus*: quàm, *Nullus amicus est assentator; aliquis assentator non est amicus.* Nam licet vtrũq; verè quidem: at multò tamen illud quàm hoc melius.

Conversa. Convertens. Prior propositio dicitur conversa: posterior convertens appellatur. Quòd si conversa sit vera; convertens quoque vera erit: at non contrà plerumq;. si eo nimirum modo conversio fiat, quo debeat.

:i. accidens.

E. I. simpliciter convertitur: E. A. per acci:
A. O. per contra: sic fit conversio tota. alias.
simpliciter· per accidens. per contrapositionem
Ecce, tibi, simp. Armigeros, acc. Arma, bono cont.

In conversione propositionum quatuor veniunt observanda: pri-

primò, vt totum attributum mutetur in totum subiectum, & contrà. Ex cuius defectu non sequitur: *Mus rodit panem, ergo panis rodit murem*: pro, *ergo rodens panem est mus.*

Secundò, vt servetur eadem suppositio seu acceptio terminorũ: cuius defectu non sequitur: *animal est genus, ergo genus est animal.* Tertiò, vt servetur eadem ampliatio. vnde non sequitur: *Senex fuit puer, ergo puer fuit senex.* Quartò, vt conversa & convertens sumãtur in eodem sensu materiali, vel formali: composito vel diviso. propterea non sequitur: *Logicus necessario est homo, ergo homo necessario est Logicus. Contingit Deum esse creantem, ergo contingit creantem esse Deum: cum necessario sit Deus.*

CAP. IX. De Prædicatione.

P*Rædicatio, est* [a] *vera prædicati de subiecto affirmatio: vt,* Dialectica est scientia. — Prædicatio quid.

Alia est
- *Propria: quæ* [b] *superius de inferiori suo dicetur. vt,* Pictura est ars. — Propria.
- *Jmpropria: quæ* [c] *inferius de suo superiore; aut idem de eodem enunciatur. vt,* Hinnibile est equus, vestis est vestimentum. *Ac priore quidem genere Dialectici ferè vtuntur.* — Impropria.

Rursus, alia est
- *Essentialis: cuius prædicatum est* [d] *de essentia subiecti. vt,* iustitia est virtus. — Essentialis.
- *Accidentalis. cuius attributum* [e] *ad subiecti essentiam non pertinet. vt,* Histrio est crudior. — Accidentalis.

COMMENT. AD CAP. IX.

PRædicari propriè intelligimus, affirmatè ac verè de aliquo enunciari. Ineptè enim de aliquo prędicari dicitur, quod vel planè ab eo removetur; vel falsò attribuitur. — Prædicari propriè.

b. Superius & inferius intelligenda sunt quoad prædicationem, non quoad significationem Nam inferius significatione potest esse superius prædicatione vt risibile animali: hinnibile bestia. Superiora igitur prædicatione sunt definitio re definita: genus speciei: species individuo: differentia, & proprium, ijs quorum sunt differẽtia & proprium. c Inferiora verò contrà. Quapropter illa cũ prædicantur, propriam & ordinatam: hæc impropriam atque inordinatam constituunt prædicationem. Individuum de vno solo dicitur prædicatione quidem vera, sed non propria. d. Prædicatum est de essentia subiecti, quoties eius est definitio, genus, species, vel differentia. e. Ad subiecti autem essentiam nihil attinet: quando est proprium, vel accidens. — Superius & inferius quo modo intelligenda. — Quando prędicatum est de essentia subiecti, quãdo non

Præter eas, quas in cõ- [textu]
1. Externa: in qua res per prędicatũ significata nõ est in re per subiectũ denotata: vt, *Son9 auditur: paries videtur: animal est genus: homo est species* Cui opponitur — Prædicatio externa.
2. Interna: in qua res contrà sese habet vt, *Corvus est niger*, quam in contextu vtcunque attigimus. — Interna.

Identica. | Per accidens | Aliena. | Falsa. | Figuratæ.

textu posuimus, prædicationes, alia dicitur,

3. Identica, in qua idem prædicatur de seipso; sub eodem, aut diverso nomine. vt, *Socrates est Socrates: Tullius est Cicero.*
4. Per accidens: in qua vnum concretum dicitur de alio. vt, *Album est dulce. calidum est siccum.*
5. Aliena: cuius prædicatum subiecto repugnat, vt, *Color est virtus: gemma non est piscis.*
6. Falsa cuius prædicatum falsè attribuitur adimitúrve subiecto. vt, *virtus seipsa contenta est ad beate vivendum: Sphæra non est corpus*
7. Figurata: nempe per translationem, allegoriam, similitudinem, & eiusmodi. vt, Cum dicitur homo caudex, bulla, asinus, & similiter.

Interrogationes tres.

Denique tres sunt prædicationis interrogationes: Quæ, Qualis, & Cuius: quibus ipsius natura indagatur. Quæ etenim, essentialisnè sit an accidentalis: Qualis, propria an impropria: Cuius, num definitionis, de definito generis, de specie: speciei, de individuo: atque ita deinceps de alijs, investigat.

CAP. x. De Propositione Modificata.

Propositio modificata.

P*ropositio Modificata ea dicitur, in qua modus aliquis invenitur.*

Modi quatuor.

Modi autem præcipui quatuor numerantur: { *Possibile.* / *Contingens.* / *Impossibile.* / *Necesse.* }

Materia 3.

Quibus triplex indicatur enunciationum materia: { *Necessaria,* / *Remota.* / *Fortuita.* }

Necesse. | Impossibile. | Possibile. | Contingens.

Necesse enim, necessariā notat materiā, ac verum certumq; enunciatū. Impossibile remotam, ac repugnantem: falsamq; enunciationem. Reliqui *duo contingentem, id est, rem quæ fieri potest & usu venire solet.*

Necesse autem, signi universalis affirmativi: Impossibile, universalis negativi: Contingens, vel possibile, particularis affirmativi. Contingens, vel possibile non, particularis negativi vim obtinet. Addunt quidam plures modos; vt utile, honestum, verum, certum, iucundum, facile, consuetum; cum eorum oppositis. Item iuvat, oportet, expedit, potest, convenit, decet, conducit, licet, accidit: & eiusmodi quàm plurimos: quos omnes ad illos quatuor quodammodo referre possis. Exempla possunt esse eiusmodi. Facile est, seipsum decipere. Difficile crimen non prodere vultu. Iuvat, cunctis rebus adesse modum. Non quod licet, sed quod decet, expedit. *Quæri autem hic potest; cur necesse & impossibile sint modi universales: Contingens verò & possibile particulares: cùm tamen possibile latiùs pateat quàm necesse?* Resp. *Contingens quidem & possibile quoad significationē latiùs patere quàm necesse: sed quoad modū significādi necesse & impossibile modos esse universales nō itē cæteros. illa enim*

distribuunt subiectum pro omni temporis differentia, non autem hæc.

Propositiones modificatæ aliæ simplicem, aliæ duplicem sensum habent. Nam quæ ex duobus concretis accidentia denotantibus inter se oppositis non constant, unicum habent sensum quem neq, compositum, neq, divisum appellare solemus. ut, Necesse est currentem movere. Possibile est candidum esse doctum. *Quæ verò ex duobus concretis accidentia denotantibus, atq, inter se oppositis constant, geminum sensum habere possunt: quorum alter compositus, alter divisus appellatur. Eiusmodi propositiones sunt:* Impossibile est sedenté ambulare: Contingit calidũ esse frigidum: Possibile est exclusum intromitti: Cõtingit filium esse patrem. Sensus dupl. Compositus. Divisus.

Quarum prima quidem composito sensu vera est, cùm sit diviso falsa. Reliqua contra: diviso vera, cùm sit composito falsa. Sensus autem compositus, seu coniunctus ratione eiusdem, non æquivocè, secundùm idem, eodem modo & de eodem loco, eodemq, tempore est intelligendus: Divisus vero, seu disiunctus secus. Sunt qui arbitrantur enunciationem illam, in qua modus est subiectum, vel prædicatum, in sensu composito & coniuncto semper esse accipiendam: eamq, orationis structuram esse concinniorẽ. Sensus compositus. Sensus divisus.

Opponuntur, & æquipollent. ut in sequenti tabella: vel propriè secundùm eosdem modos; vel impropriè secundùm diversos. Convertuntur autem ut purè sive de inesse quibus respondent. Oppositio. Aequipollentia. Conversio. Propriè. Impropriè.

TABELLA.

Hæ 4. æquipollens inter se

Purpurea:
Non possibile est non esse.
Non contingens est non esse.
Impossibile est non esse.
Necesse est esse.

Et item hæ 4. æquipollens.

Iliace,
Non possibile est esse.
Non contingens est esse.
Impossibile est esse.
Necesse est non esse.

Contrariæ

Subalternæ. Contra Dicentes Contra Dicentes Subalternæ.

Subcontrariæ.

Et item hæ 4. æquipollens.

Amabimus.
Possibile est esse.
Contingens est esse.
Non impossibile est esse.
Non necesse est non esse

Et item hæ 4. æquipollens.

Edentuli.
Possibile est non esse.
Contingens est non esse.
Non impossibile est non esse.
Non necesse est esse

Ad qualitatem enunciationum in singulis ordinibus demonstrandam

Voces artificiosæ. *dam excogitatæ sunt voces quædam artificiosæ, singulis respondentes ordinibus. Quarum vocales, vbi collocanda aut sit aut nō sit negatio, in singulis istorum ordinum enunciationibus clarè ostendunt. Nam,*

Versus. E verbum negat, Ique modum nihil A sed V totum. *hoc est.*

E. significat negationem verbo soli esse adhibendam.

I. modo tantum apponendam.

A. nullam omnino addendam negationem.

V. verbo pariter & modo præponendam.

CAP XI.

De Propositione coniunctâ, sive hypotheticâ

Propositio coniuncta. *Coniuncta propositio est, quæ ex pluribus constat simplicibus, coniunctione aliquâ inter se connexis.*

vt, Donec eris fœlix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Eius species. *Eius quinque species enumerari solent,*
- *Conditionalis.*
- *Copulativa.*
- *Disiunctiva.*
- *Causalis.*
- *Temporalis. Quibus plures fortassis addi possent: veluti illativa, exceptiva diminutiva & si qua aliæ similes.*

Conditionalis. *Conditionalis est in qua plures propositiones simplices conditionali nota iunguntur. vt,* Ipse decor recti, facti si præmia desint, nil movet. In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

Copulativa. *Copulativa, vbi nota copulationis plures simplices connectit. vt,* Virtus est vitium fugere: & sapientia prima, stultitia caruisse. Breve & irreparabile tempus omnibus est vitæ.

Disiunctiva. *Disiunctiva, in qua disiunctionis nota intercedit. vt,*
Imperat, aut servit collecta pecunia cuique.
Aut nulla, aut nostro est tempore rara fides.
Atque ita finiendæ sunt reliquæ species.

Conditionalis quādo vera. *Conditionalis vera est, vbi antecedens probat consequens. vt, in hac:* Si vera nobilitas ex virtute oritur, non est ex divitiarum affluentia ponderanda. *Aliàs falsa, vt in ista:* Si in alterum paratus est dicere; caret omni vitio.

Copulativa quando vera. *Ad veritatem enunciationis copulatæ requiritur cuiusq; partis veritas. vt,* Diligentiæ est sua conservare: & Avaritiæ, aliena quærere. *Ad falsitatem verò vnius partis falsitas. vt,* Magistratus est, populo præesse, & ius ex arbitrio suo dicere. Nam Magistratus hæc est vis, vt præsit, præscribatq; recta, & vtilia, & coniuncta cum legibus. vt enim magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus: vereq; dici potest, magistratum legem esse loquentē: legem autem mutum esse magistratum.

Disiuncta quandovera. *Cæterùm ad disiunctæ veritatē sufficit alicuius partis veritas, vt in hac:* Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi: Aut hæc in nostros fabricata est machina muros: Aut aliquis latet error. *Ad ipsius autem falsitatem, cuiusque partis falsitas*

ßitas requiritur. vt, Optimus quisq; amplissimos in republica honores consequitur: Aut nulla spes in virtute ponenda.

Causalis, similis est conditionali: nam vera est tantùm quando pars posterior per priorem probatur. vt, Moriendum illi fuit, quoniam homo natus erat. *Denique quod ad veritatem spectat, idem de Temporali est sentiendum: hæ etenim sunt veræ:* Dum quis currit, movetur. Dum sis probus, es amandus. *Non autem hæ:* Dum bibis, peccas: Dum scribis, ludis. *Quoniam prior pars non probat secundam.* — Causalis: Temporalis

Dividitur hypothetica propositio, vt simplex: primò, in aientem, & negantem: deinde in veram atq; falsam. Ait, cuius copula principalis nullā habet præpositam negotionis notam. vt, Si sol non feratur super terrā, dies non est. *Negat cuius principalis copula præfixam habet negationē. vt,* non quia Pœnus, ideo fœdifragus. — Quomodo hypothetica dividitur. Aiens. Negans.

Principalis copula hoc loco coniunctio dicitur, à qua enunciatio hypothetica suam speciem accipit. — Principalis copula.

Nullam agnoscunt hypotheticæ conversionem, nec oppositionem, præter contradictionem præposita negatione toti propositioni. — Conversio nulla. Oppositio qualis.

Copulativa universalitatem, disiunctiva particularitatem quandam præ se fert, quo fit, vt invicem contradicant, vbi partes sunt oppositæ.

Bifariam sumi potest tum copulationis, tum disiunctionis nota. Illa complexim, aut sigillatim: hæc disiunctivè, aut copulatim. vt, Omnis nostra vis in animo & corpore sita est. *Si &, capiatur complexim & copulativè, vera & categorica est: si sigillatim ac divisivè, est copulativa falsa: declarans omnē vim nostrā in animo esse, itemq; in corpore: Quorū vtrumq; falsum est. Similiter,* Omne animal aut homo est, aut bestia. *Nam si sumatur* aut *divisim atq; disiunctè; est falsa propositio: Designans omne animal esse hominem tantùm, vel bestiam tantum. Sin uero coniunctim & copulatè accipiatur, vera: ostendens hominem pariter ac bestiam omne animal comprehendere. Huius generis sunt,* Duo & tria sunt quinque. homo constat ex animo & corpore: lac & piscis sunt venenum: *& similia.* — Nota sumitur bifariam.

Omittitur nonnunquam nodus venustatis gratia: qui, licet non exprimatur, intelligi potest. vt in his: — Nodus omittitur interdū.

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.
Obsequium amicos, veritas odium parit.

DIALECTICÆ LIBER TERTIVS.

De Argumentatione.

Reliquum est prioris instituti partis præcipuum omnium caput, Argumentatio, tertio libro explicanda. — Transitio.

CAP. I.

Argumentatio quid.

Argumentatio, est oratio, qua quis rei, de qua dicit, fidem facere conatur vt, Homo futilis tacere nescit: non est igitur in consilium adhibendus.

[b] *Tria sunt in argumentatione notanda: Antecedens, Nota, & Consequens.*

Antecedens Consequens Nota.

Antecedens, est prior pars argumentationis notam præcedens. Consequens verò, posterior eandem subsequens.

[c] *Nota, denique, velut nodus quidam est ipsas partes connectens. vt,* Lucretia seipsam interfecit: ergo fuit homicidij rea. *Antecedens est,* Lucretia seipsam interfecit: ergo, *Nota*: fuit homicidij rea, *Cōsequēs.*

Antecedens quandoq; duas habet partes: priorem, vocant maiorem propositionem: alteram, minorem. De quibus suo loco dicemus.

Argumentatio duplex. Bona.

Argumentatio, in bonam & malam tribuitur.

Bona est, ex cuius antecedente necessario infertur consequens. vt, Nullius rei causa violandum est ius: ergo nec regnandi causa est violandum.

Mala.

Mala est, cuius antecedens aut non omnino aut non ex necessitate probat consequēs. vt, Pax optanda est; Bellum itaque non est gerendū, *Nam suscipienda bella sunt, vt in pace sine iniuria vivatur.*

COMMENT. AD CAP. I.

Argumentatio.

ARgumentatio, est argumenti per orationem explicatio; vel oratio, qua propositiones cum inferendi nota ritè cōnectendo, aliud ex alio cōcludimus. vt, *Omnis tyrannus indignus est imperio: Nero fuit tyrannus: ergo indignus imperio.*

Ex quibus conficitur.

b. Quemadmodum ex simplicibus terminis pronunciatum, ita ex pronunciatis argumentatio conficitur. Nam vt in illo subiectum, Copula, & Prædicatum: ita in hac quoq; Antecedens, Nota, & cōsequens veniunt consideranda.

Notæ

[c] Notæ sunt, *ergo, ideo, igitur, proinde, itaque*, & quę sunt generis eiusdem, quæ propter concinniorem orationis structuram nonnūquam suo loco moventur. vt in hoc syllogismo: *Omne leve fertur sursum. Omnis ignis est levis: Omnis igitur ignis fertur sursum.* Nōnunquā prorsus omittuntur. vt in isto: *Si vim vi repellendo occidere licet: Milo autem vim vi repellendo Clodium occidit: Miloni Clodium occidere licuit.*

CAP. II. De formis Argumentationis.

Argumentationis formæ 4.

QVatuor sunt argumentationum formæ:
- *Syllogismus, quem ratiocinationem Latinè vocant,*
- *Inductio.*
- *Enthymema.*
- *Exemplum.*

Syllogismus.

Syllogismus seu ratiocinatio, est argumentandi ratio, quæ ex duabus enunciationibus ritè positis tertiam necessariò concludit. vt, Quisquis insidiatus est, iure occiditur: Clodius insidiatus est: Iure ergò Clodius occiditur.

Duo

Duo enim conclusionis termini, qui extrema nominantur, sic in tertio aliquo, quod est medium, in premissis coniunguntur: ut eos quoque necesse sit inter se in conclusione consentire. Nam quę in eodem tertio (risè nimirum distributo) conveniunt, eaaem inter se quoque conveniunt. Similiter cùm duo illi conclusionis termini in medio disiunguntur: inter se quoq; in conclusione separantur. vt, Omnis prudens est temperans: ergo Nullus voluptarius est prudens.

Syllogismus, alius est
- *Categoricus constans ex enũciationibus Categoricis. vt,* Quodq; pulchrum est difficile: Quæque scientia est pulchra: ergo Quæque scientia est difficilis.
- *Hypotheticus: cuius propositio est hypothetica. vt,* Si scientia rei militaris, virtus, auctoritas, & felicitas tã excellenter fuerunt in Cn Pompeio, ac Cicero prędicat; erat meritò Imperator diligendus: At verò tam excellenter in ipso fuerunt: meritò igitur Imperator diligendus. — Syllogismus 1

Iterum, alius — Iterum 2.
- *Demonstrativus.* — *Constans ex* *Necessariis.*
- *Dialecticus.* — *Probabilibus.*
- *Sophisticus.* — *Captiosis.*

De Demonstratione.

Demonstratio est ratiocinatio ex veris & perspicuis effecta: aut certè ex eiusmodi, quæ à quibusdam perspicuis & veris causam cognitionis sumunt. — Demõstratio

Vera & perspicua cẽsentur ea, quæ nõ ab aliis, sed à se, ipsa fidẽ habent. — Demonstratio 2.

Bifariam autem contingit demonstrare; vel
- *Quod res sit, conveniatvé.*
- *Propter quid sit, aut conveniat.*

Demonstratio propter quid, est ratiocinatio ex iis sumptionibus constãs, quę verę primę, immediatę, atq; notiores sunt, ac causę denique conclusionis. — Demonstratio propter quid.

Ac verę quidem, quoniam ad demonstrandum, ea sumitur contradictionis pars, quę certo vera est. — Sumptiones veræ.

Primę vero, quia nullę ipsis priores sunt, quibus confirmentur. — Primæ.

Immediatę autem, quoniam medio carent quo probentur. — Immediatæ.

Notiores deniq;, quia nullę magis perspicuę inveniuntur, quibus doceantur. — Notiores.

Verùm cùm notiora, priorаq; bifariam considerentur vel — Notiora priora que 2.
- *Nobis: id est, ratione & sententia nostra, iudicio sensuum: vtpote quę priora & viciniora, magisq; sensibus obiecta sunt.*
- *Omnino, simpliciterq; atq; per se sive naturę ordine: quę sunt à sensibus remotiora. De hisce vtiq;, quod in demonstrationis definitione diximus, venit intelligendum.*

Eiusmodi autem sumptiones, seu enunciationes, sive pronunciata vera prima, immediata, notiora, & conclusionis causę, ipsa sunt principia demonstrandi: duplici genere constituta. — Principia demonstrandi. Principium.

Alte-

Principiũ. 2.

Alterum	Θέσις, id est, propositio, sive propositum Ἀξίωμα, id est, dignitas, vel postulatum.	nuncupatum.

Quæ duo licet in eo conveniant, quod utrumq; verum, certumq́; sit, medioq; careat, nec doceri queat: in hoc tamen differunt, quod ἀξίωμα, clarius atque evidentius sit: itaq; ad commune iudicium, popularemq; intelligentiam accommodatum: ut neminem prorsus latere, quin statim ab omnibus ex se propter suam perspicuitatem cognosci, assensionem captare, & retinere possit. Θέσις verò paulo minùs aperta atque manifesta & doctis tãtùm, atque intelligentibus perspecta & explorata. Exempla erũt einsmodi: Luna interpositu interiectuque terræ deficit. Omne totum maius est qualibet sua parte.

Principiorũ conditiones tres.

Principiorum conditiones, seu proprietates assignantur tres:	Dici de omni, sive de toto genere. Dici per se, sive hoc ipso, quòd res talis est. Dici ut universale.

Dici de omni.

In omni id dicitur, quod ita in alterũ cadit ut nec sub illo genere pars ulla accipi possit, cui non conveniat: neq; ullum tempus inveniri, in quo de illo non dicatur.

Dici per se 4.

Per se autem dici, sive inesse, seu convenire dicuntur.	1 Primùm, quæ in explicanda rei natura atq; essentia adhibentur. ut, animal hominis, punctum lineæ. 2. Deinde quæ ponuntur in definitione eorum naturam explicante, quæ rem quãpiã consequuntur: ut, corpus animatum, sensus compos, respectu hominis: quorúmve in definitione subiecta collocantur. ut, risibile, rectitudo & curvitas, ratione hominis & lineæ. 3. Tum, quæ cum dicuntur, in nullo subiecto inesse intelliguntur. ut, omnes nimirum substantiæ 4. Postremo, quæ suapte natura, ac propter se alteri conveniunt: vel, cuius subiectum continet causam attributi: ut in his; iugulatus interijt: animal rationale est risibile.

Vniversale quomodo hoc loco intelligitur.

Vniversale hoc loco intelligitur, quod & in omni inest, & per se rei primò ac reciprocè convenit, & hoc ipso, quod res talis est. Id enim primò de aliquo, non ratione alterius superioris, inferiorisve, demonstrari rectè intelligitur. ut risibile respectu hominis.

Demonstratio quod sit. Duo eius genera

Demonstratio quod sit est ratiocinatio ab effectu ad causam: vel à causa non tamen proxima neque pari ad effectum progrediens.

Ex quo duo eius inveniuntur genera.	Vnum, quo proceditur ab effectu ad causam. Alterum quo à causa quidem, veruntamen non adæquata atque perfecta ad ipsum effectum.

Scire propriè.

Demonstratio gignit scientiam: scire enim propriè, est rem ex causis per demonstrationem cognoscere.

Bifariam dicitur scire. Demonstrandi genus 2.

Et quoniam scire bifariam dicimur, vel	Rem tantum convenire; Cur etiam conveniat,	Atque hæc inter se differunt:

Necesse fuit bipartitum quoque demonstrandi genus constituere.

Al-

Alterum { Τὸ ὅτι. id est, quòd, vel quia, seu ex effectu: quo res convenire docetur.
Τὸ διότι. id est, quare, quamobrem, propter quod, sive ex causa quo cur quæque res conveniat, ostenditur, de quibus modò diximus.

Atquemadmodum præstabilius est, ex causa aliquid scire, quàm ex effectu ita illa demonstrandi ratio est præstantior, qua cur quicque conveniat; quàm, qua omnino convenire demonstratur.

Demõstrandi ratio præstantior

Atque huic tam excellenti demonstrationis effectui maximè officit ignorantia; quæ est scientiæ privatio.

Ignorantia.
Ignoratio. 2.

Ignoratio autem duplex invenitur altera { Puræ negationis: quæ est nuda & mera inscitia ab omni cõtrariæ opinionis pravitate seiuncta,
Pravæ affectionis: quæ est error, quo fallacibus & captiosis argumẽtatiunculis persuasiunculisq́; circumscripti atque decepti, abducti; à veritatis opinione desciscunt.

Cui medendo malo solertia, quæ perspicacitas quædam est cum celeritate ingenij ad rei cuiusque probandę medium causamq́; statim excogitandum, remedio comparatur.

Solertia

In omnibus denique, sumptionibus firmiùs, quàm conclusioni assentiamur. Semper enim quod cuiusque rei, cur sit causa est, id potius esse arbitramur.

Sumptionibus firmius quàm conclusioni assentimur: & quare.

Hæc sunt de Demonstratione, quæ summatim texerem.

Dialectica ratiocinatio est, qua ex probabilibus concluditur. Ac probabilia quidem sunt, quæ probantur aut omnibus, aut plurimis, vel quorum spectata est & perspecta sapientia.

Dialectica ratiocinatio
Probabilis quæ.

Sapiens autem, in sua quisque facultate peritus, censendus est.

Sapiens quis censendus

Differt à demonstratione ratiocinatio Dialectica, quod illa scientiam signat, hæc opinionem.

Quomodo differt à demonstratione ratiocinatio Dialectica

De captione autem sophistica dicemus posteà.

Lib 4 cap 5

Tertio, alius est { Communis. in quo medium est commune.
Expositorius, vulgo dictus: cuius medium est singulare.

Communis
Expositorius

[c] Tres sunt in omni syllogismo enunciationes: maior, minorq́; propositio nodum præcedentes: ac eundem sequens conclusio.

In omni syllogismo enunciationes ters

[d] Tres sunt etiam voces simplices, quas Terminos appellamus: Maius, Minusq́; extremum & Medium. Nec plures tribus admittendi sunt, nec accipiendi ambigui.

Tres item termini

Propositio maior, prior communiter dicitur: minor verò, posterior nominatur: conclusio denique, quod ex his infertur. vel,

Propositio maior.

Propositio maior est, in qua maius minor, vbi minus extremum sumitur conclusio, in qua ambo pariter connectuntur.

Propositio minor

Ac maius quidem extremum, prædicati: minus subiecti locum in conclusione occupat Medium vero dicitur, quod in vtraque præmissa, propositione videlicet & assumptione capitur: nec vnquam ingreditur conclusionem.

Principiũ.2.

Alterum	Θέσις, id est, propositio, sive propositum / Ἀξίωμα, id est, dignitas, vel postulatum,	nuncupatum.

Quæ duo licet in eo conveniant, quod utrumq; verum, certumq; sit, medioq; careat, nec doceri queat: in hoc tamen differunt, quod ἀξίωμα, clarius atque evidentius sit: itaq; ad commune iudicium, popularemq; intelligentiam accommodatum: ut neminem prorsus latere, quin statim ab omnibus ex se propter suam perspicuitatem cognosci, assensionem captare, & retinere possit. Θέσις verò paulo minùs aperta atque manifesta & doctis tantùm, atque intelligentibus perspecta & explorata. Exempla erũt eiusmodi: Luna interpositu interiectuque terræ deficit. Omne totum maius est qualibet sua parte.

Principiorũ conditiones tres.

Principiorum conditiones, seu proprietates assignantur tres:
- Dici de omni, sive de toto genere.
- Dici per se, sive hoc ipso, quòd res talis est.
- Dici ut universale.

Dici de omni.

Jn omni id dicitur, quod ita in alterũ cadit ut nec sub illo genere pars ulla accipi possit, cui non conveniat: neq; ullum tempus inveniri, in quo de illo non dicatur.

Dici per se 4.

Per se autem dici, sive inesse, seu convenire dicuntur:
1 Primùm, quæ in explicanda rei natura atq; essentia adhibentur. ut, animal hominis, punctum lineæ.
2. Deinde quæ ponuntur in definitione eorum naturam explicante, quæ rem quãpiã consequuntur: ut, corpus animatum, sensus compos, respectu hominis: quorùmve in definitione subiecta collocantur. ut, risibile, rectitudo & curvitas, ratione hominis & lineæ.
3. Tum, quæ cum dicuntur, in nullo subiecto inesse intelliguntur. ut, omnes nimirum substantiæ
4. Postremo, quæ suapte natura, ac propter se alteri conveniunt: vel, cuius subiectum continet causam attributi: ut in his; iugulatus interijt: animal rationale est risibile.

Universale quomodo hoc loco intelligitur.

Universale hoc loco intelligitur, quod & in omni inest, & per se rei primò ac reciprocè convenit, & hoc ipso, quod res talis est. Id enim primò de aliquo, non ratione alterius superioris, inferiorisve, demonstrari rectè intelligitur. ut risibile respectu hominis.

Demonstratio quod sit.

Demonstratio quod sit est ratiocinatio ab effectu ad causam: vel à causa non tamen proxima neque pari ad effectum progrediens.

Duo eius genera

Ex quo duo eius inveniuntur genera.
- Unum, quo proceditur ab effectu ad causam.
- Alterum quo à causa quidem, veruntamen non adæquata atque perfecta ad ipsum effectum.

Scire propriè.

Demonstratio gignit scientiam: scire enim propriè, est rem ex causis per demonstrationem cognoscere.

Bifariam dicitur scire. Demonstrandi genera.

Et quoniam scire bifariam dicimur, vel	Rem tantum convenire; / Cur etiam conveniat,	Atque hæc inter se differunt:

Necesse fuit bipartitum quoque demonstrandi genus constituere.

Alterum { Τὸ ὅτι. id est, quòd, vel quia, seu ex effectu: quo res conveni-re docetur.
Τὸ διότι. id est, quare, quamobrem, propter quod, sive ex causa quo cur quæque res conveniat, ostenditur, de quibus modò diximus.

Atque quemadmodum præstabilius est, ex causa aliquid scire, quàm ex effectu: ita illa demonstrandi ratio est præstantior, qua cur quicque conveniat; quàm, qua omnino convenire demonstratur. Demonstrandi ratio præstantior

Atque huic tam excellenti demonstrationis effectui maximè officit ignorantia; quæ est scientiæ privatio. Ignorantia. Ignoratio. 2.

Ignoratio autem duplex invenitur altera { Puræ negationis: quæ est nuda & mera inscitia ab omni contrariæ opinionis pravitate seiuncta,
Pravæ affectionis: quæ est error, quo fallacibus & captiosis argumentatiunculis persuasiunculisq; circumscripti atque decepti, abducti; à veritatis opinione desciscunt.

Cui medendo malo solertia, quæ perspicacitas quædam est cum celeritate ingenij ad rei cuiusque probandæ medium causamq; statim excogitandum, remedio comparatur. Solertia

In omnibus denique, sumptionibus firmiùs, quàm conclusioni assentiemur. Semper enim quod cuiusque rei, cur sit causa est, id potius esse arbitramur. Sumptionibus firmius quàm conclusioni assentimur: & quare.

Hæc sunt de Demonstratione, quæ summatim texerem.

Dialectica ratiocinatio est, qua ex probabilibus concluditur. Ac probabilia quidem sunt, quæ probantur aut omnibus, aut plurimis, vel quorum spectata est & perspecta sapientia. Dialectica ratiocinatio Probabilis quæ.

Sapiens autem, in sua quisque facultate peritus, censendus est. Sapiens quis censendus

Differt à demonstratione ratiocinatio Dialectica, quod illa scientiam signat, hæc opinionem. Quomodo differt à demonstratione ratiocinatio Dialectica

De captione autem sophistica dicemus posteà. Lib 4 cap 5

Tertio, alius est { Communis. in quo medium est commune.
Expositorius, vulgo dictus: cuius medium est singulare. Communis Expositorius

c Tres sunt in omni syllogismo enunciationes: maior, minorq; propositionodum præcedentes: ac eundem sequens conclusio. In omni syllogismo enunciationes tres

d Tres sunt etiam voces simplices, quas Terminos appellamus: Maius, Minusq; extremum & Medium. Nec plures tribus admittendi sunt, nec accipiendi ambigui. Tres item termini

Propositio maior, prior communiter dicitur: minor verò, posterior nominatur: conclusio denique, quod ex his infertur. vel, Propositio maior.

Propositio maior est, in qua maius minor, vbi minus extremum sumitur: conclusio, in qua ambo pariter connectuntur. Propositio minor

Ac maius quidem extremum, prædicati: minus subiecti locum in conclusione occupat Medium vero dicitur, quod in vtraque præmissa, propositione videlicet & assumptione capitur: nec vnquam ingreditur conclusionem.

Conclusio. Maius extremum. Minus extremum. Medium. Argumentū.

clusionem. Atque ipsum est argumentum seu ratio, ac probabile inventum ad rei dubiæ, de qua agitur fidem faciendam. Etenim virtute medij probamus conclusionem.

Materia Syllogismi duplex.

Materia Syllogismi	*Remota, sunt termini.*
	Propinqua, pronunciata.

Forma.

Forma, est legitima enunciationum dispositio: quæ figuram & modum complectitur.

Figura.

Figura, est certa debitaq; collocatio medij.

Modus.

Modus, est pronunciatorum quantitatis, & qualitatis ratio.

Modus quotuplex:

Modorum, alij sunt generales, alij speciales: alij aientes, alij negantes, quæ nomina à complexione ducunt

Numerus modorum cuiusque figuræ.

Numerus modorum cuiusque figuræ.

[e] Bis duo prima tibi numerat: totidemq; secunda:
Vltima, quæ restat retinet sex verba figura.

Collocatio medij.

Collocatio seu dispositio medij.

Sub præ. prima: bis præ secunda: tertia bis sub.

hoc est.

In prima figura terminus medius seu communis in propositione subiecti, in assumptione vero prędicati locum obtinet. In secunda, in vtraque prędicati vicem subit. In tertia in vtraque subiecti locum tenet. vt sequenti disticho apertius declaratur.

[f] Præcedit copulam prima medium, sequiturque.
Ast bis præcedit terna: sequiturque secunda.
[g] Præmissæ, medium, maiorq; minorq; capessunt.
Hoc tamen vt Scyllam semper conclusio vitat.

Comment. ad Cap 11.

Argumentationes. Perfectæ. Imperfectæ. Enthymema. Exemplum.

a. Ex quatuor illis argumentationum formis duæ priores perfectæ sunt, & Dialecticorum propriæ: reliquæ duæ imperfectæ, Oratoribus & Poëtis magis quàm Dialecticis vsitatæ.

Enthymema, ad syllogismum: Exemplum, ad inductionem referunt Aristoteles, illud, Rhetoricum syllogismum: hoc, Rhetoricam inductionem nominat.

Præmissæ.

b. Maior & minor propositio, quia præcedunt nodum, præmissæ appellantur: ex quibus concessis necessariò inducitur conclusio. Atque hæ tres syllogismi partes variis nominibus notari solent, Nam,

Nominatur.

Syllogismi pars prima.	Secunda.	Tertia.
Ab Aristotele, propositio maior.	propositio. minor.	Conclusio.
A Cicerone propositio,	Assumptio.	Conplexio & cōclusio,
A Quintiliano, intētio.	Assumptio.	Connexio.
A Themistio propositio	Sumptum.	Conclusio,
A Boëtio, propositio.	Sumptum.	Conclusio.
A Rodolpho expositio.	Assumptio.	Intentio,

d. Manis,

d. maius, minusque extremum, ac medium vulgò termini appellantur. Maius, semper in conclusione prædicatur: minus subijcitur. Medium ipsam nunquam ingreditur. Termini.

e. Tres sunt figuræ: Modi quatuordecim, vt docent versiculi: Figuræ 3. Modi 14.
Bis duo prima tibi; & quæ sequuntur.
Barbara, Celarent Darij, Ferio, integri habentur,
Ad quos ducuntur reliqui, cùm perficiuntur:
Cesare, Camestres, Festino, Baroco: Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Addunt quidam quinque alios modos primę figuræ, quos vocãt indirectos quòd in conclusione maius extremũ minori subijcitur: cũ contrà fit in reliquis. f. Varietas figurarum ex collocatione medij oritur: quandoquidem medium in prima figura est subiectum in maiore, & prædicatum in minore. In secunda bis prædicatur. In tertia verò bis subijcitur. Id est, in vtraque præmissa; vt versus indicant: *Præcedit copulam prima medium*: & quæ sequuntur. g Medium autem (vt distichon, *Præmissæ medium*, &c ostẽdit) non ingreditur conclusionem. Etenim conclusio ex maiore, minoreque extremo conficitur: quæ directa quidem vocatur, vbi maius extremum de minore prædicatur. Indirecta verò, vbi contrà. Præterea conclusio mente & intentione prima pars est syllogismi: Maior, quæ est eius ratio seu causa, secunda: minor, vltima. Oratores autem, & Poëtæ nonnunquam invertunt ordinem, & dispositionem syllogismi: conclusionem nunc primò, nunc secundò loco inferentes: ac propositiones quandoque præpostero ordine pro arbitrio, & commoditate sua collocantes: quod facilè à Dialectico perspicitur. Modi indirecti quinque. Conclusio pars prima intentione.

CAP. III.

De Syllogismis per figuras & modos ordine collectis.

Primæ figuræ modi quatuor.

P*Rimus huius figuræ modus est, quando ex A, sequitur, A. hoc est, cùm & propositione, & assumptione quæ de toto genere vniversè dicũt, positis & concessis; sequitur, quæ vniversè de toto etiam genere dicit, necessario conclusio. Cuius tale est exemplum.*

Bar	Omne vitium est castigandum,
1. ba	Omne mendacium est vitium: ergo,
ra.	Omne mendacium est castigandum.

Vitium.

Secundus est, quando ex E, A sequitur E. hoc est, cùm propositione, quæ omni ex parte negat; & assumptione, quæ ex omni parte ait, concessis; conclusio, quæ ex omni parte quid negat, sequitur necessariò. Exemplum erit huiusmodi.

Ce	Nullus magistratus reddit honestum:
2. la	Omnis prætura est magistratus: ergo,
rent.	Nulla prætura reddit honestum.

Magistratus.

Tertius est, quando ex A, I, sequitur I. id est, cum propositio de toto genere universè dicit, & de parte assumptio; iisq; concessis, conclusio, quæ de parte dicit, sequitur. Cuius exemplum hoc esto.

Da Quæque perturbatio est reprimenda:
Perturbatio 3 ri. Ira est perturbatio ergo
j Ira est reprimenda.

Quartus autem modus primi generis dispositionis est, quando ex E, I, sequitur O, id est, cum propositio omni ex parte negat, sumptio quadam ex parte dicit: quibus concessis, necessario, quæ ex parte negat, sequitur conclusio. vt,

Fe Nulli lascivi sunt legendi:
Lascivi. 4. ri- Quidam Poëtæ sunt lascivi: ergo,
o. Quidam Poëtæ non sunt legendi.

Modi perfecti. Imperfecti. *Atque hi quidem quatuor modi dicuntur perfecti, quòd in meliorem formam reduci nequeant. Reliqui vero imperfecti: quia trāsmutatione, & conversione egent, priusquam ad perfectorum ordinem reducantur.*

Hisce autem quatuor alios quinque adiecerunt: in quibus est inversus cōplexionis ordo, quo terminus thematis maior, qui attribui debebat, subiicitur. Quanquam autem conclusionem, vt vocant, indirectam, hoc est, conversam inferunt: necessariò tamen ex præmissis sequitur. Nam si ad easdem præmissas in Barbara sequitur hæc conclusio: Omnis sobrietas est amplectenda: *necessario per conversionem attenuatam sequetur:* Aliquod amplectendum est sobrietas. *Similiterq; in cæteris modis.*

Quinque alij primæ figuræ modi non directè concludentes.

Ba Omnis temperantia est amplectenda:
Temperantia 1. ra Omnis sobrietas est temperantia: ergo
lipton Aliquod amplectendum est sobrietas.
Vitium. Ce Nullum vitium est decens:
2. lan Omnis audacia est vitium: ergo,
tes. Nullum decens est audacia.
Crudele. Da Quodvis crudele est odiosum.
3. bi Aliquod bellum est crudele: ergo,
tis. Aliquod odiosum est bellum.
Fap Omnis avarus est miser:
Avarus. 4. es Nullus probus est avarus: ergo,
mo. Aliquis miser non est probus.
Modestia. Fris Quædam modestia est laudabilis:
5. es Nullum convicium est modestia: ergo,
morū. Aliquod laudabile non est convicium.

Secundæ figuræ modi quatuor.

Cupiens aliena Ces Nemo liberalis cupit aliena:
1. a Omnis avarus cupit aliena: ergo,
re. Nullus avarus est liberalis.

Ca Omnis prudens est temperans: Temperans
a,mes Nullus voluptuarius est temperans: ergo,
tres Nullus voluptuarius est prudens.
Fes Nullum scelus est excusabile. Excusabile
3.ti Aliqua culpa est excusabilis: ergo,
no. Aliqua culpa non est scelus.
Ba Omnis fraus est prohibita: Prohibita
4.ro Quædam mercatura non est prohibita: ergo,
co Quædam mercatura non est fraus

Tertiæ figuræ modi sex.

Da Omne periurium est flagitium:
1 rap Omne periurium est mendacium: ergo,
ti Aliquod mendacium est flagitium Periurium
Fe Nulla virtus est fugienda: Virtus
2.lap Omnis virtus est cum labore coniuncta: ergo,
ton. Aliquid cum labore coniunctum non est fugiendum.
Dis Aliqua severitas est salutaris:
3 a Omnis severitas est odiosa: ergo, Severitas
mis Aliquod odiosum est salutare.
Da Omnes stulti sunt servi:
4 tis Aliqui stulti sunt divites: ergo, Stulti
i Aliqui divites sunt servi
Bo Aliquod bellum non est fugiendum:
5 car Omne bellum est calamitosum: ergo, Bellum
do. Aliquod calamitosum non est fugiendum.
Fe Nulla severitas placet puero:
6.ris Aliqua severitas est pervtilis: ergo, Severitas
on. Aliquod perutile non placet puero.

In his vocabulis, quę vocamus modos significantes sunt literæ quædam. Literæ significantes.

A, generalem aientem
E, generalem negantem } *enunciationem notat.*
I, specialem aientem
O, specialem negantem

CAP. IIII.

De Reductione imperfectorum.

AD primę figurę ordinem secundæ & tertię figurę syllogismi eadē remanente materia reducantur. In reductione autem est advertendum, quòd B.C.D.F. in imperfectorum principiis, eos modos, ad illos quatuor perfectos debere reduci denotant, qui ab iisdem characteribus initiū sumunt. ut Baroco ad Barbara: Cæsare ad Celarent: itemq; de aliis. Prętereà, Reductio: Advertenda

M. mutationem prę missarum
S. simplicem } *conversionem* } *representat.* Literę representantes
P. attenuatam

C. Si alibi, quæ in primo loco ponitur per impossibile reductionē indicat.
.i. accidens.

Versus pro reductione.

Simpliciter verti vult S.P. verò per acci.
M. vult transponi. C per impossibile duci.

Tres primi imperfecti in prima figura per conversionē conclusionis rediguntur. Quartus præter conversionem etiam mutatione præmißarum eget. Quintus conversas præmissas transmutat.

In secunda figura primus & tertius modus per conversionem maioris: secundus mutatis præmissis, & minore ac conclusione conversis: Quartus solùm per impossibile revocatur.

In tertia figura primus, secundus, quartus, & sextus modus per cōversionem minoris: tertius commutat præmissas, maiore & conclusione conversis: quintus deniq; obliquo tantùm ductu ad primam figuram rediguntur. Potest quisq; modus per obliquum ductum probari: at Baroco, & Bocardo nullam aliam reductionem agnoscunt.

Reductio per impossibile.

Reductionem per impossibile, sive obliquum & contortum ductum, eam dicimus quæ ex contradictione conclusionis cum alterutra præmissarum colligit alterius præmissæ, contradictionem. Quemadmodum in reductione istius syllogismi.

Ba Omnis fraus est prohibita:
ro Quædam mercatura non est prohibita: ergo,
co. Quædam mercatura non est fraus.

Quæ ex Baroco ad Barbara sic redigitur:

Bar Omnis fraus est prohibita:
ba Omnis mercatura est fraus: ergo,
ra. Omnis mercatura est prohibita.

Itemq; huius.

Bo Quædam podagra non est sanabilis:
car Omnis podagra est morbus: ergo,
do. Quidam morbus non est sanabilis.

Quæ ex Bocardo ad eundem primæ figuræ modum ita revocatur

Bar Omnis morbus est sanabilis:
ba Omnis podagra est morbus: ergo,
ra. Omnis podagra est sanabilis:

Servat maiorem Baroco: Bocardo minorem. Ille à maiore, hic à conclusione incipit in reductione.

CAP. V.

De duplici Syllogismorum ductu.

Duplex syllogismorum ductus:

Syllogismus itaq; duplicem habet ductum { *Rectum.* / *Obliquum.* }

Illum, auctores ostensivum, seu demonstrativum: hunc verò, incōmodo urgentem adversarium, sive ad impossibile ducentem nominant.

Reductio ostensiva.

Reductio ostensiva est, quæ ad necessitatem syllogismi ostendendam, vicitur

situr vel conversione propositionum, vel transpositione illarum. vel simul conversione & transpositione. Hęc enim duo sunt instrumenta reductionis ostensivæ: conversio, inquam, & transpositio. In quibus autem modis conversio sola satis sit, & in quibus transpositione, vel utraq; sit opus; elementa seu literæ fictarum vocum ostendunt.

Reductio, quæ adversarium urget incommodo, ea dicitur, in qua non id utimur conversione aut transpositione præcipuè; sed contradictione conclusionis: ex qua cum alterutrâ propositione iam concessâ colligimus contradictionem alterius propositionis: quæ cùm falsa & absurda appareat; revertimur ad priorem conclusionem, quam firmam demonstramus. Hæc reductio per impossibile, sive ad id impellens, quod fieri nequit, hanc habet regulam qua omnis consequutio confirmatur: nimirum, Quando ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis, consequutio est valida in quacunq; figura. Verũ ut sit expedita ratio cõvertendi syllogismos per impossibile, secũdæ & tertiæ figuræ adhibẽtur hi versiculi. Reductio per impossibile.

Maiorem servat, variatque secunda minorem. Versus pro reductione per impossibile.

Tertia maiorem variat, servatque minorem.

Vtimur reductione, quæ urget incommodo adversarium, cum aliquid manifestè verum negatur ut in hoc exemplo: Vsus illius.

Bar Omnis virtus ornat Philosophum:
ba Omnis patientia est virtus: ergo,
ra. Omnis patientia ornat Philosophum.

In hoc syllogismo si quis omnia præter intentionem dederit; sic per obliquum ductum insurgemus:

Bo Quædam patientia non ornat Philosophum:
car Omnis patientia est virtus: ergo,
do. Quædam virtus non ornat Philosophum.

Conclusio hæc est falsa: ergo alterutra præmissarum, ex quibus est inducta. At non minor, quæ anteà est concessa: ergo maior: nimirum, Quædam patientia non ornat Philosophum. Quapropter eius cõtradictio ex necessitate erit vera: scilicet Omnis patientia ornat Philosophum. Sicq; adversarius, vel invitus, ad palinodiam impellitur. hoc enim effatũ: Omnis patientia ornat Philosophum: in priori syllogismo erat negatũ quod tamen ab eodem posteà conceditur. Ex ijs quæ diximus, colligere licet ex veris falsum non posse inferri.

Verùm quò expeditius atq; commodius per obliquum ductum imperfecti modi omnes ad quatuor primos revocentur: notentur verba ad id instituta; scilicet. Nesciebatis, odiebam, lætare, Romanis: modis quinque primæ figuræ imperfectis, secundę quatuor, sex tertiæ ordine respondentibus. Quarũ syllabarũ quęq; vocalis indicat cõclusionẽ modi primæ figurę, ad quẽ sit ille reducẽdus. Etenim syllogismi illi quatuor secũdæ figuræ ita reducuntur, sumendo contradictionem conclusionis pro minore, maiore remanente: ex ijsq; inferendo contradictionem minoris. Tertiæ vero sex, contradictione conclusionis maioris loco posita, minore permanente

 ex

ex iisq; inferendo contradictionem maioris. Modi autem quinq; imperfecti primæ figuræ, contradictionem conclusionis maioris loco collocādo, eandemq; in minoris sedem deprimendo: ex eisq; inferendo minoris contradictionem: præterquam, Celantes; qui ex minore facta maiore, cum contradictione conclusionis, infert maioris contradictionem. Sed & advertendum est: in quinq; primæ figuræ imperfectis, Baralipton & Fapesmo, præter extremorum commutationem in conclusione inferenda omnium quinque cōmunem, non minoris contradictionem inferre; sed contrarietatem quemadmodum Darapti, Felaptonq; tertiæ figuræ modos, maioris contrarietatem. Neque vero propterea falso dicitur, inferri contradictionem: quia licet directè non inferatur: infertur tamen per consequentiam, quippe cùm particularis in veritate semper sequatur universalem: sicut universalis in falsitate suam particularem, veluti si vera est. Omnis homo est disciplinæ capax: vera erit: Aliquis homo est disciplinæ capax Et si falsa est: Aliquis homo est quadrupes: falsa quoque erit: Omnis homo est quadrupes. Quod acutus dialecticus facile dispiciet.

CAP. VI.
Regulæ de syllogismo eiusque partibus.

Regulæ.

1. Maior non potest esse particularis in prima aut secunda figura, in directis. Quia in omni syllogismo de medio communi, medium debet semel in antecedente distribui: tunc autem non distribueretur, non enim in maiore, quia medium est subiectum propositionis particularis, neque vero in minore: quia medium in minore debet esse prædicatum: quod quidem prædicatum non distribueretur nisi in propositione negativa: minor autem non potest esse negans. Atque in secunda sanè figura procederetur à non distributo ad distributum ex parte maioris extremi. Nec medium in secūda figura distribueretur, si utraque præmissarum affirmans esset. Atqui vero medium necessario distribuendum: hinc est quod non sit necesse concordare vel discordare inter se (in sylogismo directe concludente) quæ in eodem medio non distributo convenire vel discrepare inveniuntur.

2. Minor non potest esse negativa in prima aut tertia figura, in directis. Quia procederetur à non distributo ad distributum respectu maioris extremi.

3. Minoris subiectum in prima figura sub subiecto maioris continetur.

4. Ex falsis falsum, verumque aliquando sequetur.

5. Ex veris possit nil, nisi vera, sequi.

6. Præmissæ probant, non probantur.

7. Conclusio probatur, nihil probat.

8. Conclusioni igitur minus, quàm præmissis creditur. Juxta regulam: Propter quod unumquodq; & illud mag.

9. Conclusio deteriorem sequitur partem. Nam altera præmissarum speciali existente, specialis erit conclusio: similiter altera existente negante

negans

negans sequetur conclusio. Nec unquam aut generalis, aut aliens invenitur, nisi ubi utraq; præmissa sit talis.

10. *Conclusione existente falsa, necesse est alterutram propositionem esse falsam.*

11. *Nulla est conclusio affirmativa in secunda figura.*

12. *Nulla universalis in tertia. Quia procederetur à non distributo ad distributum ex parte minoris extremitatis, quæ in antecedente non potest distribui: cùm minor non possit esse negans.*

13. *Concedenda est conclusio in omni bono syllogismo.*

14. *Minor extremitas est conclusionis subiectum, maior verò prædicatum: nec unquam nisi in conclusione, concurrunt.*

15. *Medium in affirmativis utriq; extremo congruit.*

16. *In negativis alteri iungitur, & removetur ab altero.*

17. *Medium igitur in affirmativis primæ figuræ debet esse vox inter maius & minus extremum media; in negativis minori superior.*

18. *In secũda figura debet esse vox superior eo cui affirmativè iũgitur.*

19. *In tertia ubique inferior est minore: & maiore etiam quoties ab eo non disiungitur.*

20. *Medium non fit ex voce dissentanea utriq; extremo.*

21. *Medium nunquam ingreditur conclusionem.*

22. *Medium ex locis omnibus petitur.*

23. *Omne medium commune in altera saltem præmissarum ponendum est universaliter.*

24. *Ex medio pendet cuiusque argumentationis vis & energia.*

25. *Syllogismus affirmativus ad confirmandum; negativus ad refellendum ac refutandum est aptior.*

26. *Bonus est syllogismus ex cuius conclusionis contradictione cum alterutra præmissarum infertur alterius cõtradictio. Iuxta regulam:* Quãdo ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis, cõsequutio est valida in quacunque figura.

27 *Omnis syllogismus rectè dispositus firma est argumentatio.*

28. *Malus est syllogismus, ubi fuerint quatuor, aut plures termini.*

29. *Homonymia & amphibolia ubiq; sed in syllogismis maximè vitandæ sunt.*

30 *Nullus est legitimus syllogismus ex solis negativis. Quia nihil necesse est à se invicem removeri, quæ removentur ab eodem tertio.*

31. *Nullus similiter ex solis particularibus. Quia sic medium non distribueretur: aut si fortè distribueretur, procederetur à non distributo ad distributum.*

32. *Si tantùm in materia peccetur, non impedit syllogismi consequutionẽ.*

33 *Ubi medij, aut extremorum dispositio non servatur, vocatur paralogismus: cuius consequutionem inficiari licet.*

34 *Nullus terminus ponendus est universaliter in conclusione, qui non fuerit universaliter positus in altera præmissarum.*

CAP. VII. De Syllogismo Rhetorico.

Syllogismus Rhetoricus.

INter Rhetoricum & Dialecticum syllogismum hoc interest, quòd ille fusiùs uberiusq; dilatet orationem: pluresq; interdum habeat propositiones: hic brevius angustiusq; tribus semper enunciationibus contentus, concludat.

Partes eius.

Quinque communiter partes habet:
- *Propositionem.*
- *Rationem propositionis.*
- *Assumptionem.*
- *Assumptionis approbationem.*
- *Complexionem.*

Exemplum. Propositio.

Exemplum ex Cicerone illud esto.

Meliùs accurantur, quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur.

Ratio.

Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus; quàm quæ temerè, & nullò consilio administratur. Rursum, Navis optimè cursum cõficit ea, quæ scientissimo gubernatore vtitur: eadem est exercitus & cæterorum ratio.

Assumptio.

Nihil autem omnium rerum meliùs quàm omnis mundus administratur.

Approbratio assumptionis

Nam & signorum ortus obitusq; definitum quendã ordinẽ seruant: & diurnæ nocturnæq; vicissitudines immutatæ perstant.

Complexio.

Consilio igitur mundus administratur.

Nunc quinquepartita, nunc quadripartita, nunc tripartita nunc bipartita tantũ invenitur.

Sed interdum propositio ratione non eget: interdum assumptioni probatione non est opus: nonnunquam etiam complexione supersedere solent. Ex quo fit, quod nunc quinquepartita, nunc quadripartita, nunc tripartita, nunc bipartita tantum inveniatur. Quin in tres tantum partes semper distributam volunt: pro prima, propositionem eiusq; rationem: pro secunda assumptionem & eius approbationem: denique complexionem, pro tertia assignant.

CAP. VIII. De Syllogismo Expositorio.

Syllogismus expositorius.

SYllogismus expositorius dicitur, cuius medium est singulare, vt,

Diogenes fuit pauper:
Diogenes fuit Philosophus: ergo,
Quidam Philosophus fuit pauper.

COMMENT. AD CAP. VIII.

REfert hic syllogismus aliqua ex parte tertiæ figuræ formã: non quòd propriè in vllo modo cõficiatur sed quia huic quàm aliis est similior: quoniam medium bis subiicitur. In hoc autem syllogismo ex singularibus communis sententia colligitur. Ideoq; expositio à Philosopho vocatur, quòd communes propositiones frequẽter explicet, atq; exponat, verbi causa: si quis dubitet, an concionatori ethnicos scriptores citare liceat. Ita probatur.

Paulus licitè citabat ethnicos scriptores:
Paulus fuit concionator: ergo,

Concionatori licet ethnicos citare scriptores.

Ita frequenter probantur cummunes syllogismi per huiusmodi expositiones non tanquam ratiocinationes perfectiores: sed magis perspicuas. vt si maior propositio huius syllogismi.

Castigatio est vtilis:

Omnis castigatio est supplicium: ergo,

Quoddam supplicium est vtile.

Cuiquam videatur incerta: mox probabitur per hanc singularem:

Castigatio Catilinæ *est vtilis.* cui adiuncta assumptione:

Castigatio Catilinæ *est supplicium:* eadem prorsus quæ priùs, clariùs, tamen atque apertiùs, infertur conclusio. ergo,

Quoddam supplicium est vtile.

2. Atque expositoria hæc argumentandi ratio Oratoribus solet esse frequentissima. Nam cùm omnis humana cognitio ex sensibus oriatur(sensus quippe per inductionem singularium rei vniversæ notionē in mēte gignit: omnisque nostra de rebus vniversis, etiam principijs, non nisi per species intelligibiles à phantasmatibus acceptas cognitio sumitur) sensus autem singularia, & non communia comprehendunt: ex his mens communes sententias & rerum causas colligit; quæ licet sint percipientibus certiores: sunt tamen primò intuentibus minùs perspicuæ quàm singulares. Denique videndum est, ne minor propositio sit vnquam negativa, id quod suprà de minore tertiæ figuræ admonuimus. Omnis cognitio ex sensibus oritur.

CAP. IX. De Sorite.

Sorites, quæ Latinè coacervatio dicitur est argumentandi ratio, quę ex pluribus enunciationibus aientibus, & necessarijs ita constituitur, vt attributum pronunciati primi, subiectum fiat alterius: & huius attributum tertij efficiatur subiectum: atque ita deinceps pręcedentibus sequentia connectantur: vt quod est omnium postremum attributum, id primi pronunciati subiecto coniungatur. vt, Sorites.

Homo est animal:

Animal est vivens:

Vivens est substantia: ergo,

Homo est substantia.

Huius consequutionis ratio est, quòd quãdo alterum de altero verè affirmatur, vt de subiecto, quęcunq; de pręd icato dicuntur, ea omnia de subiecto primo dicentur.

Vitiosum plerumq; est & fallax genus argumẽti hęc concludendi ratio: ac tum demum proba censenda, cum aut pronunciata omnia aientia sunt ac necessaria; & posteriora quęque priorum consequentia: aut saltem propositio prima affirmans est, reliquæ omnes vniversales, vel vniversalibus propter materię necessitatem pares, nec varietur acceptio. Redigitur autem in syllogismum, si pręd icatum pręd icato, & subiectum subiecto attribuas in hunc modum: Quando proba censenda hæc concludendi ratio. Quomodo redigitur in syllogismum.

Omne

Quomodo redigitur in syllogismum.

Omne animal est vivens:
Omnis homo est animal ergo,
Omnis homo est vivens.

CAP. X. De Enthymemate.

Enthymema.

ENthymema est imperfectus syllogismus, ex altera tantùm præmissarum conclusionem inferens vt,

Bona omnia meliorem efficiunt possessorem:
Non sunt igitur divitiæ bona.

Nunc maior propositio, nunc minor [a] *reticetur, quam si suppleas, perfectum effeceris syllogismum. Exempli causa.*

Temeritas est vitium: ergo,
Temeritas est fugienda. *Deest maior, scilicet*
Omne vitium est fugiendum
Nulla scientia sine vsu paritur:
Nec dialectica igitur sine vsu paritur. *Deest minor: nempe,* Dialectica est scientia.

Maior minorve desideretur quomodo intelligatur.

Si in antecedente & consequente idem sit subiectum, deest maior: sin autem prædicatum sit in vtroque idem minor desideratur. Prior enim enthymematis pars, Antecedens: posterior verò, Consequens appellatur.

Antecedens. Consequens

Comment. ad Cap. X.

Cur reticetur altera præmissarum

a DVplici potissimùm nomine tacetur altera præmissarum: aliàs brevitatis studio cùm satis clara & aperta omnibus sit illa omittenda sententia. vt in hoc exemplo.

Enthymema vnde robur suum habet.

Omnis insidiator iure occiditur: ergo.
Clodius est licitè interfectus.

Aliàs cùm infirma videtur prætermissa illa propositio: vt melius sit, eam tacitè de industria præterire quàm exprimere. vt,

Quintus Fabius fuit cunctabundus: ergo,
Bonus Imperator.

Omissa enim illa maior: nimirum, *Omnes cunctabundi sunt boni Imperatores*: parum firma est.

Enthymema si quãdo validum & efficax sit, ex ipsa re magis quã ex sua forma robur & firmitatem habet. vitium eius facilè perspicitur si statim in integrum syllogismum redigatur in quo faciliùs deprehenditur, si quid fuerit dubij.

Nomen Enthymematis latè patet. A divisis ad coniuncta.

b. Nomen Enthymematis apud Dialecticos late patet & omnibus perfectis syllogismis attribuitur velut cùm à divisis ad coniũcta: vt, *Aristoteles est eruditus et est* Philosophus. ergo *Aristoteles est eruditus Philosophus.* vel à tertio adiecto ad secundum adiectum: vt, *Leo est fortis: ergo Leo est*: argumétemur. Inversum nonnunquam enthymematis ordinem apud Oratores & Poetas est videre. vt, *Improbus est si crudelis.*

A tertio adiecto ad secundum adiectum:

Enthymematis ordo inversus.

Inductio.

CAP. XI. De inductione.

INductio, est argumentandi ratio à multis singulis ad universum, vel à partibus a[illegible] progrediens.

Ex-

Exemplum à multis singulis ad universum.

Ebrietas ducit puerum in perniciem mendacium ducit puerum in perniciem, furtum idem agit, periurium idem; similiter faciunt libido & otium: nec in cæteris est contrarium videre. ergo, Omne vitium ducit puerum in perniciem. Exemplum à singulis.

A partibus ad totum.

Plebs Romana optimè de Milone sentit, Equester ordo optimè sentit: Senatus optimè sentit ergo, Totus populus Romanus optimè de Milone sentit. Exemplum à partibus.

Duas habet partes { *Antecedens quod ex rerum singularum coacervatione constat.* / *Consequens: generale pronunciatum ex multis singulis confectis: vel totum ex partibus collectum.* } Antecedens. Consequens.

Sed[b] in inductionibus summopere cavendum est, vt enumeratio singulorum plena atque perfecta sit: deinde ne qua partium dissimilitudo reperiatur: quæ si exstiterit, argumentatio subvertitur. vt in hoc exemplo. Consideratio

Frugifera est cerasus, nux pinus, vitis & ilex:
Ergo facit fructus arboris omne genus.

Hæc concludendi forma contraria est syllogismo: Ille enim, ex universis rebus singulas demonstrat hæc autem ex singulis colligit universas.

Comment. ad Cap. XI.

Sola Inductione vtcumque probari possunt scientiarum principia, quæ nullo modo demonstrari queunt: syllogismus firmior est argumentatio, sed inductio clarior, & sensuum iudicio notior: hac, velut spontè sequentem ducimus: illo, pervincimus non credentem atque repugnantem trahimus hæc, indoctis; ille, eruditis magis convenit.[b] Addunt arguruli in antecedente; atq; ita de cæteris: ne inter partes diversum aliquid, & dissimile appareat. Auctores non tam exprimunt quàm intelligunt Rhetores rogant adversarium, vt ille dicat, si possit, vbi diversum reperiatur. vt ex illius imperitia convincant. Syllogismi & inductionis comparatio. Argutuli. Auctores. Rhetores.

Inductio Rhetorica est, quę rem aliquam ex pluribus similibus colligit. vt, si tutor fidem præstare debet, si socius, si cui mandaveris, si qui fiduciam acceperit: debet etiam procurator. Inductio. Rhetorica.

Inductio Socratica propterea dicitur, quòd ea Socrates creberrimè vsus sit, Socratica autem illa maximè dicitur quę ex pluribus constat interrogatis quibus ab adversario concessis aliud, quod quærebatur, simile infertur. hoc pacto: *Quod est pomum generosissimum: Nònne quod optimum? Et quis equus generosissimus? Nònne qui optimus? Quis ager: aliaq, denique quam plurima, quæ sunt optima: nonne eadem habentur generosissima? Quid? nonne ergo dicentur & generosissimi homines ij qui sunt optimi: cæterisq, virtute & scientia præstãt: non qui nascendi claritate tantummodo excellunt.* Quod genus imprudenter & incautè respondenti facilè imponet, Inductio Socratica.

CAP.

CAP XII. De Exemplo.

Exemplum quid.

b. *EXemplum est argumentandi* [a] *ratio, qua unum ex alio propter utriusq; similitudinem probatur. vt,* Marcus Attilius Regulus vitam amittere maluit, quàm fidem hosti datam fallere: :fides ergo hostibus data servanda est.

Simile est Enthymemati sed aliquanto imbecillior argumentatio. In exemplis similitudo causa consequutionis existit. Itaque quoties in his bona est consequentia, ex materia & pronunciatorum similitudine potius quàm à sua forma robur & firmamentum habet. Satis est si ea parte congruunt, qua comparantur.

Quomodo dissolvitur.

Dissoluimus exemplum ostensa partium dissimilitudine. Nam hæc ratio: Laterensis fuit accusatus, quia consulatum affectavit: ergo, Cicero fuit accusandus, quia consulatum affectavit: *non valet ob dissimilitudinem: alter enim per ambitum; alter citra ambitum affectavit. In suadendo mirè conducunt, in vrgendo parum habent momenti.*

Vnde petitur

Petitur tum à comparatione: vt à Pari, maiori, minori: tum à loco similium & dissimilium.

Comment. ad Cap. XII.

Quid negandum in quaque forma argumentandi.

IN perfectis illis argumentandi formis, Syllogismo, & Inductione; Antecedens tantùm rectè negari potest. At verò in Enthymemate, & Exemplo: tum Antecedens, tum consequutionem inficiari licet.

Exemplum infirmissima argumentandi ratio.

a. Infirmissima argumentandi ratio est exemplum: quia raræ sunt similitudines, in quibus nihil insit dissimilitudinis. vitandæ sunt falsæ, obscuræ, atque incertæ similitudines.

Exemplum ab auctoritate ac testimonio quid differt.

b. Exemplum, ab auctoritate ac testimonio hoc differt: quòd in his personæ iudicium, in illo, rerum similitudinem spectemus. hoc interest inter exemplum & testimonium, inquit Cicero, quòd exemplo demōstratur id, quod dicimus cuiusmodi sit: testimonio esse illud ita, vt nos dicimus, confirmatur.

CAP XIII.

De alijs quibusdam argumentandi formis.

Aliæ argumentandi formæ.

REferuntur & aliæ quædam concludendi rationes, quæ vulgò dicuntur insolubiles sive indissolubiles: quòd videantur inexplicabiles: cuius generis feruntur: Dilemma, Crocodilites, Violentum, Asystaton, Pseudomenon.

Dilemma.

Dilemma est oratio bicornis vtrinque adversarium illaqueans. vt, Si improbus est, cur vteris? Si probus, cur accusas?

Dissolvitur, aut excogitando medium, aut ipsum in adversarium retorquendo. vt, si quis probaturus vxorem non ducendam hoc dilemmate vtatur: Si formosam duxeris vxorem, habebis communem: sin deformem, molestam: proinde nulla ducenda est: *Dissolvitur, aut invertendo: vt,* si duxero formosam, erit iucunda: sin deformem, non erit communis. *aut medium excogitando: vt,* Non omnis femina adeò for-

formosa, vel deformis est: talem itaque deligam, cuius nec deformitas offensionem; nec forma zelotypiam parare queat. Media quippe forma quædam est, quæ & nimiæ pulchritudinis periculo, & summo deformitatis odio vacat: qualis à Q. Ennio in Menalippa perquam eleganti vocabulo, stata dicitur: quæ neque communis, neq; pena futura sit. Quam modicam formam & modestam Phavorinus non inscitè appellat vxoriam Ennius autem in illa, quam dixi, tragoedia, eas ferè ait fæminas incolumi pudicitia esse, quæ stata forent. *Hec Gellius.* Gell. lib. 5. cap. 11.

Memorabile illud est ἀντίστρεφον apud Gellium de Prothagora Sophista, & Evathlo discipulo quorum ille inexplicabilem hanc proposuit captionem: Aut contra te aut secundùm te pronunciabitur: Si contra te, debebis ex sententia: si secundùm te, ex pacto. Promiserat quippe Evathlus discipulus se mercedem laboris in ipso erudiendo susceptum demùm Prothagoræ præceptori daturum, vbi primam causam vicerat. Hic ita dissoluit: Aut pro me pronunciabitur, aut contra me: si pro me, nihil ex sẽtẽtia debeo: si cõtra, nihil ex pacto. Prothagoras, & Evathlus. Gell. lib. 5. cap. 10.

Crocodilites est, cùm callida circumventi interrogatione id admittimus, quod mox arreptum ab adversario nobis obest, verbi causa: Crocodilus matri raptum filium reposcenti ita respondit. Reddam tibi filium, si verum dixeris: vtrum igitur reddam, an non? *Negavit illa fore, vt redderet: atq; ob id æquum esse aiebat reddi: cui ille, atqui si reddidero nõ dixisti verum, & ideo non reddam.* Crocodilites.

Violentum, est concludendi modus, in quo ex adversariorum ratione, non id, quod ipsi volunt, sed quod nobiscum facit, sequi demonstramus. vt, Nolo Philosophiæ operam dare quia sum filius regis. *Responderi enim potest:* Imo hoc magis philosophiæ est tibi insudandum, quòd sis regia proles. Violentum.

Asystaton, non consistens. vt, Si quis tacere se dicat: vel mentiri vel nihil scire: & quærat, taceátne, an loquatur, &c. Dictum Socratis, Hoc solùm scio, quod nihil scio: *ad perfectam quandam alicuius rei scientiam pertinebat. Sciebat enim se nullius rei perfectam habere scientiam, & ita loquens deinceps taceat, de quibus loqui desinit.* Asystaton.

Pseudomenon, seu mentiens. vt illud Cælum tegit omnia: igitur & se tegit. *Sensus quippe est,* præter se omnia tegit. Cretenses sunt mẽdaces, *dixit Epimenides, ipse Cretensis: verumne dixerit an falsum: & suntne mendaces, an veraces quæritur. Si verum dixit, & sunt Cretenses mendaces; falsum tamen erit, quoniam ab auctore Cretensi, & ipso mendace, pronunciatum est. Si non sunt mendaces, nec Epimenides mendax: & sic credendum est, quod sint mendaces. Indefinita propositio in contingenti materia non est generaliter intelligenda. Ex eo itaque quod Cretenses sint mendaces non sequitur, quemq; esse mendacem. & si quisque Cretensis esset mendax: etiam Epimenides ipse: non est tamen necesse vt in hoc mentiatur* Pseudomenon. Propositio indefinita quomodo intelligenda.

Quan-

Quanquam istę concludendi rationes lubricę sanè sunt, & captiosę, valdè tamen suadent quę nec medium habent, nec facilè reflecti ac retorqueri queant.

DIALECTICÆ LIBER QVARTVS.

De Inventione, sive de ijs quæ pertinent ad Inventionem, altera huius instituti parte.

Transitio. *ABsoluta tādem ea dialecticæ parte quæ ad iudicandum potissimū cōducit restat nobis altera breviter perstringenda, qua ad inveniendū magis adiuti sumus.*

CAP. I.

Inventio *INventio, est argumenti, quod dialectici medium nominant, ad probandum idonei, investigatio.*

Medium, seu Argumentū. *Medium vero, seu argumentum ratio est, ac probabile inventum, ad rei, de qua agitur, fidem faciendam.*

Ad Inventionem pertinent { *Res invenienda.* / *Id vnde eruenda sit.* / *Inveniendi ratio.* }

Res invenienda, medium sive argumentum dicitur:
Id, vnde eruenda est, Locus:
Inveniendi vero ratio, ipsa communi nomine Inventio.

Ac quoniam loco quidem, vbi argumentum latet, cognito, facile ipsum eruimus, tota hæc inveniendi ratio in Locis versatur.

Locus. *Est autem Locus, communis quædam rei nota, cuius admonitu quid in quaq; re probabile sit inveniri potest: vt Agricolæ videtur: vel sedes argumenti: vt Ciceroni placet. Sunt enim Loci argumentorum quasi fontes, ex quibus, tanquam è penu quodam, omnia faciendæ fidei instrumenta depromantur.*

Loci alij sunt { *Personarum.* / *Rerum.* }

Loci personarum, Rhetorum: rerum, Dialecticorum magis sunt porprij.

Loci personarum. *Ac loci quidem personarum tredecim numerantur. Patria seu natio, genus vel parentes, ingenium sive indoles, educatio & doctrina, mores & affectus, res gestæ, vitæ genus, habitus corporis, ætas, sexus, nomen, mortis genus, opinio post mortem.*

Loci rerum. *Rerum autem alius est* { *Dialecticus.* / *Sophisticus.* }

Locus Dialecticus. *Dialecticus vero alius dicitur* {

Maxima, seu principalis, scilicet propositio: sive ἀξίωμα, id est, dignitas, quia digna cui fides adhibeatur. Locus videlicet communis, seu canon atque regula, sive generale quoddā pronunciatum, seu postulatum per se notum; quale est illud: Cui tribuitur definitio, eidem tribuitur id quod definitur.

Differentia maximę, vox nimirū cōmunis, qua vnū ἀξίωμα discriminatur ab alio, vt, definitio, genus, species, &c. Atq; hi quidem numero certi ac definiti sunt; illi vero nequaquam. }

Loci, qui vocantur differentiæ maximarum, alii sunt { *Interni.* / *Externi.* — Interni.

Interni, alii { *In substantia.* / *Circa substantiam.* — In substantia

In substantia nominantur, ex quibus ea ducuntur argumenta, quæ ex sua vi atq; natura sumuntur, ac rei probãdæ substantię inhærent: & quę interiori quadam ac naturali cognatione cum re proposita coniuncta sunt, & cohærescunt.

Circa vero substantiã, sive medii, seu coniuncti, & adhęrẽtes dicũtur: qui neq; omnino foris assumũtur: neq; ita infixi sunt, ut interiores reliqui. — Circa substantiam.

Externi autem Loci appellantur qui rem attingunt illi quidem, verũ in rei natura infixi tamen non sunt, nec penitus insidentes. — Externi.

Tabella Locorum Dialecticorum, qui sunt differentiæ maximarum.

- Loci
  - Interni
    - In substantia.
      - 1. Definitio.
      - 2. Genus.
      - 3. Species.
      - 4. Proprium.
      - 5. Totum.
      - 6. Partes.
      - 7. Coniugata.
    - Circa substãtiã
      - 8. Adiacens.
      - 9. Actus.
      - 10. Subiectum.
  - Externi
    - Cognata.
      - Causa.
        - 11. Efficiens.
        - 12. Finis.
          - Intermedius.
          - Vltimus.
      - Eventu
        - 13. Effectum.
        - 14 Destinatum.
    - Applicata.
      - 15. Locus.
      - 16 Tempus.
      - 17. Connexum.
    - Accidentia.
      - 18. Adiuncta.
      - 19. Pronũciata
        - Antecedẽtia.
        - Coniuncta.
        - Consequẽtia.
      - 20. Nomen rei.
      - 21. Comparatio.
        - Maioris.
        - Minoris.
        - Paris.
      - 22. Similitudo.
    - Repugnantia.
      - 23. Opposita.
        - Contraria.
        - Collata.
        - Privantia.
        - Contradicẽtia.
      - 24. Diversa.

De

Definitio, Genus, Species, Proprium. *De definitione, genere, specie, & [a] proprio, satis suis locis: reliqua paucis perstringemus.*

Totum. [b]. *Totum, est, cuius, extra ipsum nihil est, vel, Quod ex partibus constat. vt, Homo ex animo & corpore: domus, ex fundamento, parietibus & tecto.*

Pars. [c] *Pars, totius quasi membrum, ipsi toti annexum. vt, corpori caput.*

Coniugata [d] Coniugata *sunt, quæ orta ab vno variè commutantur. vt, Iustitia, iustus, iustè.*

Adiacens [e] *Adiacens, est modus rei inexistens, ex quo aliud quid, quam ex substantia sua, nomen ducit. vt,* Catoni, *qui ex substantia sua homo dicitur, prudentia & seueritas modi adiacent: à quibus, cùm interrogatur cuiusmodi vir sit Cato: prudens & seuerus appellatur.*

Actus [f] *Actus est id, ex quo res quoquo modo exerceri, affici q; dicitur vt, dolere, mouere.*

Subiectum [g] S*ubiectum dicitur, in quo accidens inest.*

Causa [h] *Causa est principium eius, quod fit. vel ratione cuius sequitur aliud.*

Efficiens [i] *Causa efficiens est, à qua aliquid fit.*

Finis [k] *Finis est, cuius gratia aliquid fit.*

Euentum *Euentum dicimus, quod ex actu sequitur. Est enim euentus, auctore Cicerone, alicuius exitus negotij. Et causæ fere consilijs, consilia actis, acta euentis antecedunt.*

Effectum *Effectum quod ab efficiente producitur.*

Destinatum *Destinatum, quod certo alicui fini est addictum.*

Locus Tempus *Locus, & Tempus hic pro prædicamentis Vbi, & Quando, accipiuntur.*

Connexa *Connexa sunt, quæ licet sint extra rem ei tamen denominationem præbent. vt, vxor marito.*

Adiuncta [l] Adiuncta *dicuntur, quæ vel ante rem, vel cum re, vel post rem eueniunt: alia vt necessaria, alia vt verisimilia.*

Atq; horum tres species ratione temporis constituuntur. { *Antecedentia. Coniuncta. Consequentia.* }

Antecedentia *Antecedētia sunt, quę rem quampiam necessario aut probabiliter antecedunt. vt, partum conceptio; cędem odium.*

Coniuncta *Coniuncta sunt, quę cùm re veniunt. vt, cum senectute imbecillitas, & morum difficultas.*

Cōsequentia *Consequentia, quę rem vel necessario vel probabiliter consequuntur. vt, interitus ortum; dissolutio coagmentationem; rubor pudorem.*

Pronunciata [m] *Pronunciata sunt, quęcunque quisquam scripto vel dicto promulgauerit.*

Nomen rei *Nomen rei, vox est ad rem quampiam designandam consensu hominum instituta.*

Comparatio [n] *Comparatio est, cùm vel maiora ex minoribus, vel minora ex maioribus vel paria ex paribus concluduntur. per maius, credibilius, & verisimilius: per minus incredibilius, & quod minus est verisimile, intelligunt*

Dis-

Dialectici.

° *Similitudo, est rerum diversarum inter se collatarum similis quædam affectio.* Similitudo. Repugnantia.

De Repugnantibus in primo libro dictum est satis.

COMMENT. AD CAP. I.

a. NOmine proprij differentiam quoq; hoc loco cum Agricola comprehendimus. quod tam ratione ipsius differétiæ, quam comprehendit quam etiam sui: cùm ab ipsis speciei essentialibus dimanet principijs reiq; penitu inhereat. locus interior, atq; etiam in substantia rectè constituitur. Differentia. Proprium.

b. Totum
- Vniversale vt animal, & omne genus respectu suarum formarum & forma ratione individuorum.
- In quantitate: vniversale vniversaliter sumptum: vt, omne animal.
- In modo: vniversale aliquod & commune respectu sui adiectione iam aliqua contractioris angustiorisque redditi vt, homo, ratione hominis docti, aut probi: quæ partes in modo appellantur.
- In tempore. vt, semper, nunquam.
- In loco. vt, vbique, nusquam.
- Integrale. quod constat ex partibus quantitatem habentibus: vt, domus ratione fundamenti, parietum, & tecti: quod in præsenti intelligitur.

Quibus omnibus totius, generibus, etiam partes pariter respondent suæ.

c. Partes statuūtur duplices,
- Substantiales.
  - Materia.
    - Corporis vt, æs statuæ.
    - Negotij. vt, quæstio Dialecticæ.
    - Numerus Arithmeticæ,
  - Forma De qua in Qualitate satis.
- Integrales.
  - Similes. sive vt vocantur, similares, seu homogeneæ. quæ sunt eiusdé rationis: vt, partes carnis & sanguinis.
  - Dissimiles: seu dissimilares, sive heterogeneæ ac diversæ rationis vt, manus pes, digitus vide Com. cap. 2. lib. 3.

Potest idem ad diversa relatum & pars dici, & totum. vt, manus, cùm sit pars corporis, totum est ratione digitorum.

Coniugatorum vnum est de essentia alterius non subiecti. vt fortitudo non est de substantia hominis, sed de essentia fortis. Coniugata.

Adverbia illa, quę Casus appellat Aristoteles, coniugatorum nomine cum Cicerone complectimur. Casus.

Adiacentia. Adiacentium vocabulo ea ferè complectitur Agricola, quæ Quantitates, Qualitatesque ab Aristotele in Categorijs dicuntur: quatenùs hæc ad sua subiecta referuntur: aliò namque relata, alia sortiuntur & nomina. Verbi causa, virtus relata ad animum adiacens est, eademque cùm ad felicitatem refertur, de numero est destinatorum: cùm ad vitium, repugnans: cùm ad iustitiam & temperantiam, genus: cùm ad habitum animi, species.

Actus. f. Actus, actionem & perpessionem continet: & ex adiacentibus oriuntur actus, vt ex adiacentibus timore, dolore, & motu: existũt actus, timere, dolore, movere.

Verba autem ea, quæ proprios actus notant: vt ridere, loqui, & eiusmodi: ad differentiam potiùs & proprium referuntur.

Subiectum. g. Subiectum, propriè est ipsa substantia accidentium receptaculum: non est tamen de substantia eorum, quorum est subiectũ: sed coniunctum propter illorum in ipso inhærentiam.

Causa. h. Causa est, vnde aliquid sequitur vel, qua aliquid efficitur.

	Actu.	Per se.	Propinqua.
Causa alia est,	alia	alia	
	Facultate.	Fortuito.	Remota.

Causarum genera sunt quatuor, { Materia, ex qua / Forma, per quam / Efficiens, à qua / Finis, cuius gratia } aliquid fit.

Quarum priores duæ, materia nimirum & forma, ad partes inter locos interiores referuntur: etenim in partibus habendę sunt.

Materia. Materia alia est { Permanens, vt, argentum in statua. / Transiens atque mutabilis: vt, farina & aqua in pane.

Forma. De Forma, in Qualitate diximus: illinc assumenda erunt, quę ad hunc locum pertinent.

Efficiens. i. Causæ efficientis duo sunt genera, { Vnum, quod sua vi efficit. / Alterum, sine quo non efficitur.

Causa sua vi efficiés alia est, { Absoluta, quæ per se efficit. / Adiuvans, vel { Præcipua, vt Imperator, / Administra, vt Miles, } Victorię, seu expugnationis arcis.

Finis. k. Finis alius est { Vltimus, qui propter se expetitur. / Destinatus, qui ad alium superiorem consequẽdum comparatur.

Adiuncta. l. Locus adiunctorũ latè patet, nam & ad coniecturales etiã causas pertinet, & ex signis atq; circumstantijs constat, ad eumq; referuntur attributa personarum: vt, genus, natio, sexus, ætas, educatio & institutio, animi affectio, indoles & mores, conditio & fortuna, victus,

victus, habitus corporis, studium, res gestæ, mors; deniq; quæcunq; vulgò contingentia dicuntur.

m. Pronunciata, complectuntur auctoritatem omnem: testimonia divina, atq; humana, præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iusiurandum, testes, & quæ sunt generis eiusdem. Pronunciata

Testimonia divina sunt, quæ divinitus aut animis omnium hominum insita sunt; quæ lex naturæ vocatur: aut sacris literis prodita: vel divino alioqui modo edita. vt, oracula, vaticinationes, portenta, item prodigia, nonnunquam etiam monstra: quæque naturalia cùm sint, non tamen sine aliqua divini numinis ostensione eveniunt. Eódem sua Ethnici referunt auspicia, responsa sacerdotũ, augurum, coniectorum, & similia. Testimonia divina.

Humana sunt quæ ab hominibus scripto aut voce sunt profecta referuntur hûc gnomæ, parœmiæ, fabulæ, apologi, chriæ, apophthegmata, axiomata, leges, senatusconsulta, responsa prudentum, mores, hominum etiam opiniones. Testimonia humana.

Divina testimonia, quæ Christiana recepit religio, certa sunt, minimeque dubia, eorumque sacrosancta nobis debet esse auctoritas. Humana quoque illustrium virorum & experientium atq; doctorum, magnæ sunt auctoritatis. Testimoniorũ auctoritas

n. Comparatio est, quando duo in vno conferuntur. vt, *Furto ablatum restitui debet: ergo, quod sacrilegio aufertur, restituendum erit.* Comparatio.

o. Similitudo est, vbi duo in duobus referuntur. vt, *Equum nõ reddunt meliorem phaleræ: nec hominem igitur fortunæ ludibria.* Similitudo.

Sunt qui à Comparatione differre similitudinem putant, quòd hæc in Qualitate posita sit, illa in Quantitate cernatur.

Similitudines & dissimilitudines ad docendum, quàm ad cogendum sunt aptiores.

CAP. II.

Quo pacto ducantur argumenta à locis qui sunt differentiæ Maximarum, affirmativè vel negativè, cum locis ipsis communibus, quæ vocantur Maximæ.

De locis internis; ac primùm de iis qui sunt in substantia.

A *Definitione ad rem definitam; & vicissim ab eo quod definitur, ad definitionem; argumenta aientia & negantia ducuntur. vt,* Petrus est animal rationis particeps, ergo est homo. *& contrà, tam affirmativè, quàm negativè.* A definitione

Huius loci generale axioma est: Cui tribuitur, vel adimitur definitio, eidem tribuitur, vel adimitur id quod definitur. Itemq; cui definitum tribuitur, vel detrahitur; etiam definitio.

Pari ratione depromuntur argumenta à descriptione, etymologia, interpretatione, atq; ab iis, quibuscum conferuntur: quoties inter se reciprocantur.

A Definitione argumentum sumi dicitur, quando definitio est mediũ: similiterq; à quocunq; alio loco.

2. A genere *A genere ad speciem negantia eliciuntur argumenta. vt,* Non est animal, nec homo igitur.

Locus communis est: Sublato genere, species removetur: posito autem, non continuò sequitur.

Triplici tamen ratione valet argumentum à genere ad speciem affirmativè:

Primo, quando id quod attribuitur generi, illi tantum vni convenit speciei. vt, Animal ridet: ergo homo. *atq; hoc evenit ex necessitate materiæ.*

Secundo, cum signo vniversali. vt, Omne animal seipsum diligit: ergo & homo.

Tertio, cum distinctione ad singulas formas addita. vt, Animal currit: ergo, aut homo, aut bestia.

Ad eundem modum argumenta sumuntur à specie ad individuũ. Quã enim rationem habet genus ad speciem, eandem habet & species ad individuum. Nam & species generis, & individuum speciei locum in argumentando obtinet.

A specie 3. *A specie ad genus argumenta aientia eruuntur. vt,* Homo est, ergo & animal,

Canon est: Posita specie, ponitur & genus. vel, Cui convenit species, & genus.

A specie tamen ad genus argumentum valet negativè.

Primo, quando id quod prædicatur, convenit illi vni soli speciei. vt, homo non ridet, nec animal igitur.

Secũdo, cum negationis nota cuique speciei addita. vt, Quod nec homo, nec bestia est, id animal esse non potest.

Sed in hac formarum enumeratione cavendum est, ne qua pars prætermittatur necessaria.

Eadem est argumentandi ratio ab individuis ad speciem ducta.

A Divisione. *His annumeretur locus à divisione, in hunc modum: De quocunq; dicitur divisum, & aliquod eius membrũ dicetur. Et cui vnum membrũ essentialiter convenit: ab eo reliqua removentur. vt, de quocunq; dicitur animal, de eo dicetur vel homo vel bestia & cui vnum horum convenit ab eo removetur reliquum. vt,* Quoniam Ioannes animal est: homo erit vel bestia: Et quia homo, nequaquam bestia.

A proprio 4. *A proprio ad speciem, vicissimq; à specie ad proprium argumenta trahuntur aientia & negantia. vt,* Aptum animum habet ad ridendum, ergo est homo. *Et contrà affirmativè vel negativè.*

Regula est: Cui tribuitur, vel adimitur proprium: ei quoq; tribuitur, vel adimitur id, cuius est proprium. Et cui species, eidem & proprium.

A differentia. *A differentia pluribus formis communi negantia tantùm: à differentia autem, quę vnius speciei propria est, etiam aientia promuntur argumẽta, quemadmodum à definitione & proprio.* Eius

Eius maxima est: Cui differentia non convenit, ei nec species conveniet: non contrà nisi constiterit eam vnius speciei esse propriam.

A toto ad partes principales & necessarias: & ab illis vicissim ad totum argumenta desumuntur aientia atq; negantia. vt, Domus est, ergo fũdamentum, parietes, & tectum. *& contra, affirmativè, & negative.* A toto integrali. 5.

Leges sunt: posito toto, partes omnes principales inferũtur: at sublato toto, non continuo eius omnes tolluntur partes.

Sublatis partibus primariis, vel vna earum, totũ tollitur: Et illis positis omnibus infertur. A partibus. 6.

A toto in modo ad partem in modo argumentum ducitur negativè tantum. vt, Non est homo, nec homo igitur probus. A toto in modo.

A *parte autem ad totum affirmative tantum. vt,* Est homo doctus, igitur est homo. A parte in modo.

Sed in his videndum est diligenter, vt determinatio illa, quæ particulare, seu partem in modo efficit, restringat tantum communioris significationem: vt, doctus probus candidus: *non autem alienet. vt,* pictus, mortuus: *aut diminuat. vt,* albus dentibus: *aut vero distrahat. vt,* esse in potentia. *Quapropter non sequitur* Est homo mortuus, ergo est homo: *vel,* leo pictus, ergo leo: *vel,* albus secundum dentes, ergo albus *vel deniq;* Est homo in potentia, ergo est homo. *Licet sequatur:* Est homo doctus, probus, candidus, ergo est homo.

A *Coniugatis argumenta sumũtur aientia atq; negantia. vt,* Iustè facit, iustitia igitur præditus est, & iustus: *atq; etiam contrà, affirmative & negative. modo ex habitu actum, vel mera actione habitum non inferamus necessario. non enim sicut rectè inferimus ex iustè facere, iustitia præditum, & iustum (quia iustè facere ex habitu est) sic verè necessarioq; inferatur contrà: nisi per habitum, aptitudinem ac propensionem ad agendum tantùm, intelligamus; id quod in adverbiis illis, quæ Casus appellat Aristoteles, nos Coniugatorum nomine cum Cicerone complectimur, præcipuè observandum venit.* A Coniugatis. 7.

Norma hæc est; Tributo, vel remoto coniugatorum vno, tribuitur vel removetur alterum.

Præterea: si vnum coniugatorum horum, vni aliorum conveniat, & alterum alteri conveniet: sed incipiendum est à principalioribus, videlicet abstractis: quorum si vnum vni conveniat & reliqua deinceps inter se cõvenient. vt, Iustitia est virtus, ergo iustus est studiosus: & iustè facere est studiosè facere. A*t non perinde sequitur;* Album est dulce, ergo albedo est dulcedo: *cùm per accidens id fiat.*

De locis qui sunt circa substantiam.

A*xioma est; posito adiacente, ponitur subiectum. vt,* Iustitia est, ergo & voluntas: *Cui vt subiecto inhæret.* Ab Adiacentibus. 8.

9 Ab actibus *Locus communis; actibus tributis, subiecta quoq; & adiacentia à quibus illi sunt deducti, inferuntur. vt, posito timere; ponuntur timor, & id, quod timet.*

10 A subiecto *Dignitas; sublato subiecto, tolluntur tam adiacentia quam actus: Et posito subiecto, ponuntur etiam necessaria adiacentia, & actus. vt sublata voluntate, tollitur iustitia & iustè facere. Et posito homine, ponuntur tangendi, ac nutriendi facultas, natiuus calor, vitalis operatio, pulsatio cordis, spirituum agitatio, & id genus alia.*

De locis externis.

Quanquam materia & forma in partibus numerantur inter locos interiores, atq; in substantia: hic tamen locus commodior est visus, in quo cum reliquis causis inserantur.

A materia *Posita materia, ponitur & effectus, actu vel potentia materialiter: & sublata materia permanente tollitur effectus. vt,* non est hoc argentum, nec statua igitur argentea. *verùm in transeunte materia nō eodem modo sequitur. vt si dicas* Farina non est, nec panis igitur. *vbi dicendum esset,* Farina non erat, vel fuit, *per tempus præteritum.* vel. Non est farina panis igitur fieri non potest.

A forma *Posita forma substantiali, res ipsa ponitur: & ea sublata, tollitur. vt, posita anima rationis participe, homo ponitur: & sublata illa, hic tollitur. forma etenim vt dicitur, dat esse & conseruat in esse.*

11 Ab efficiente naturali *Posita causa efficiente naturali ac sufficiente, non impedita actu necessario sequitur effectus: eaque sublata, tollitur. vt,* Pulmonem habet, respirat igitur. pulmonem non habet, nec respirat igitur. Sol exortus est, itaque dies est. Sol non est exortus, non est itaque dies.

Ab efficiente voluntaria *Posita causa efficiente voluntaria, poni potest & effectus: eaq; remota, tollitur.*

Ab ortu *Huc pertinent Ortus, Interitus, Occasio, Instrumenta, modus, & similia.*

Ab interitu *Cuius ortus est bonus, & ipsum bonum. Cuius autem malus, & ipsum malum. & contra.*

Cuius interitus est bonus, & ipsum malum Et cuius interitus malus, & ipsum bonum. & contrà. Intellige cuius interitus bonus vel malus est per se & non per accidens; non enim sequitur Mors Christi fuit bona, ergo Christus fuit malus. *Etenim per accidens fuit mors Christi bona. nempe quòd per eam redemerit genus humanum, alias omnino periturum. Similiter hæresis dicatur bona per accidēs, eo quòd reddat homines studiosiores.*

12 A fine *Cuius rei finis est vel bonus, vel malus: ipsa quoque vel bona, vel mala est. Intellige finem per se & ordinatum. Non enim furtum propter eleemosynem est bonum.*

Ab vsu *Cuius vsus bonus est. & ipsum bonum: Cuius autem malus, & ipsum malum. & contrà à reipsa ad ipsius vsum. Verùm cauendum est, ne quis argumentetur ab abvsu pro vsu. vt,* Inebriari est malum, ergo vinum est malum. Plerique Philosophi sunt mali, ergo Philosophia est mala.

Si

Si bonus est eventus, causa non potest esse non bona. Ab Eventu

Posito proprio effectu, ponitur & propria causa necessaria, vel esse vel 13
fuisse. Ab effectu

A Destinato rectè infertur finis, ad quem refertur. vt, Cùm gladium 14 A Destinatione
portare liceat, profectò vim propulsare, vitamque tueri licebit.

His adiungitur locus ab adiectione: hoc modo: Si *vna res ad alterā adiecta eam faciat bonam, aut albam: cùm prius bona, aut alba non esset: quæ adiecta est, bona erit, vel alba: quale & totum reddidit verbi gratia:* Terra fit humida propter aquam: ergo aqua est humida. *Propositio principalis est* Quod efficit tale, vel tale ipsum tale est. *Ad cuius veritatem tria requiruntur.* Ab Adiectione

Vnum, vt res adiecta non sit ipsa forma: ideo non sequitur: Albedo adiecta parieti facit parietem album: ergo albedo est alba. Calor reddit calidum, ergo calor est calidus.

Alterum, vt res adiecta non sit pars essentialis, idcirco non sequitur: Duo addita quinque efficiunt septem, ergo duo sunt septem. Anima rationalis iuncta corpori constituit hominem, ergo anima rationalis est homo.

Tertium, vt id, quod additur, non sit æquivocum: sed per se, propriè & immediatè tale quid efficiens. vnde non sequitur: Sol accedēs ad aërem facit aërem calidum, ergo sol est calidus. Aër in æstate reddit aquā frigidiorem (scilicet per antiperistasin) ergo aër in estate est frigidus.

Aut vero sic. propter quod vnumquodque, & illud magis. *quod pronunciatum verum est, quatuor obseruatis.*

Primo, vt quod attribuitur, vtriq; insit subiecto: ac vni quidem propter alterum. Cuius defectu non sequitur: Sum calidus propter solem, ergo sol est magis calidus. Vinum reddit hominem ebrium, ergo vinum est magis ebrium.

Secundo, vt id, quo conferuntur, magis minusq; admittere queat. propterea vitiosè inducitur, Homo est aptus ad ridendum, quia est animal mente præditum: ergo animal mente præditum magis est aptum ad ridendum.

Tertio, vt adiectum per se sit causa totalis eiusmodi effectus. proinde non recte infertur: Sol indurat lutum, ergo sol est magis durus. Propter candentes carbones adurit ferrum, ergo candentes carbones magis adurunt.

Quarto, vt ea quæ comparantur, omnino inter se distincta sint. Quapropter non valet: Propter oculos video, ergo oculi magis vident. *quia videns, eiusq; oculi non sunt res omnino inter se distinctæ: cum oculus sit pars eius.*

A toto in loco ad partem, firmum sumitur argumentum affirmatiuè vel negatiuè. vt, Vbique vilius est argentum auro, ergo & in Insulis Fortunatis. In nulla domo meretricia licet quemquam pro mœchio 15 A toto in loco

 depre-

deprehendere, ergo nec in Thaidis Chæream.

A loco simpliciter. *At vero simpliciter à loco, non perinde semper firmum: non enim necessario sequitur:* Græcus est, mendax igitur. Pœnus, ergo fœdifragus: Atheniensis, proinde non hebes: Thebanus, ideò non ingeniosus.

16. A toto in tempore. *A toto similiter in tempore ad partem necessario concludimus, affirmative, vel negative. vt,* Fortuna semper metuenda est, ergo etiam cùm blanditur. Nunquam debemus immemores esse mortis, ergo cùm optima quidem sumus valetudine.

A tempore simpliciter. *Atqui argumentum à tempore simpliciter ductum, non ita semper necessario concludit. vt,* Nocte intempesta visus eò cursans per plateas: hominem igitur manè inventum occisum ipse interfecit. Fabius oriente Canicula natus est ergo Fabius in mari non morietur.

A loco pariter ac tempore. *Fortissimum autem, minimeq; dubium est argumentum à toto in loco pariter ac tempore dictum. vt,* Vbique semper virtutis honos est habendus, ergo etiam nunc meritò in aulis principum haberi debet.

17. A connexis. *Postulatum est: posito uno connexorum, ponitur alterum: & sublato altero, tollitur reliquum. vt,* Vxor est, ergo virum habet: Maritum non habet, non est igitur vxor.

Ab accidente ad subiectum. *Proposito accidente, ponitur subiectum: non contrà. vt, posita temperantia, ponitur appetitus, non contrà.*

Ab accidente ad accidens. *Ab accidente ad accidens, quorum vnum alterum nulla necessitate consequitur infirma est argumentatio vt,* Est formosa, ergo impudica.

Posito vno adiunctorum ponitur alterum necessariò aut probabiliter. vt, Peperit conceperat igitur. Erubescit, ergo subpudet; & proptetea reus.

18. Ab adiunctis. Ab antecedentibus. *Sublato antecedente, necessariò tollitur consequens. vt,* Mulier hæc non concepit, nec peperit igitur.

A coniunctis. *Posito vno coniunctorum, necessariò ponitur alterum. vt,* Sorbet respirat igitur.

A consequentibus. *Posito consequente, necessariò ponitur & antecedens. vt,* Hæc arbor fructum fert, ergo floruit.

19. A pronunciatis, seu auctoritate. *Regula est;* Cuique in sua facultate perito credendum est *vt,* Plato, Aristoteles, Cicero: & in Christiana doctrina, Christus, Evangelista Apostolus, Augustinus, hoc, vel illud asserit: ergo ita esse credendum est. *Ab auctoritate non semper necessariò sed plerumq; probabiliter, interdum ne probabiliter quidem concluditur. Quando autem necessariò, vel probabiliter, aut secus aliquid ab auctoritate, inferatur vide in commen: præcedentis capitis vbi de pronunciatis & auctoritate pluribus. Nota tamen non valere argumentum negativum ab auctoritate negata: sed ab auctoritate negante. v.g.* Scriptura non dicit, ergo non ita est *sed* scriptura hoc, vel illud negat, ergo negandum est.

20. A nomine rei. *Cui nomen convenit, & res: & cui nomen non convenit, nec res & contrà; ab ipsa re ad nomen, sed semper oportet nomen univocum esse.*

Quicquid dicitur secundùm magis & minus, dicitur simpliciter. vt,

Quod

Quod magis minusve est album, album est, *& quod simpliciter non dicitur, nec secundùm magis & minus dici queat. vt,* quod album omnino non est, id nec magis nec minus album rectè dicatur. *Sed magis & minus debent propriè intelligi, non catachresticos, & abusivè: vt,* Aqua est levior terra, id est, minùs gravis. 21. A comparatione.

In comparatione secundùm magis & minus duo requiruntur.

Vnum, vt termini tales sint, qui possint magis minusq; suscipere: ideò non valet: album est animal: ergo magis album, est magis animal.

Alterum, vt illud magis minusq; accipiatur ea ratione, qua debet, & respectu illius, cui rectè tribuatur. vt, Quoniam corporis exercitatio bona est quatenus conservat sanitatem: idcirco maior exercitatio, quæ magis sanitatem conservat, magis bona est: *non autem omnino; cùm plerumq; obsit.*

Huic loco apud Aristotelem ille adiunctus est; quod quadam ex parte possit esse, aut aliquãdo, aut aliquo in loco: idcirco omnino esse potest. Quod autem omnino fieri non potest: id nec aliqua ex parte, nec interdum, nec alicubi fieri potest. Cui sanè loco in multis occurritur: veritatem tamen habet in propositionibus contingentibus, quando subiecto prædicatum inesse, ac convenire nulla alia ratione possit. vt, Homo cernit ex parte oculorum, ergo cernit. *at non sequitur;* Æthiops candidus est ex parte dentium, igitur est candidus: *quia candor possit in aliis corporis partibus inesse, quod aspectus nequit.* Ab ex parte ad omnino.

Si id, quod magis videtur esse non sit: certè nec quod minus videtur. vt, Vir non valet leoni resistere, nec puer igitur. A maiore.

Si id, quod minus videtur esse sit: & quod magis videtur: vt Manipulus potuit expugnare arcem & exercitus igitur. A minore.

Quod in vno parium valet, valebit in altero: & quod in vno non valet, nec in altero. A paribus.

Similium similis est ratio: nam quod in vno similium valet, valebit in altero. 22. A similibus, & dissimilibus.

Dissimilium autem dissimilis est ratio, in eo, in quo sunt dissimilia.

Similitudine cognata est proportio similis: vt, quod est aspectus in oculo, id mens est in animo. *Et dissimilitudini, proportio dissimilis. vt* nõ idem in homine animus est, quod in navi gubernator. A proportione.

Cui vnum oppositorum convenit, alterum discrepat. vt, Herus est, haud servus igitur *respectu nimirum eiusdem.* 23 Ab oppositis

Posito vno collatorum, ponitur & alterum in subiectis diversis; & contrà sublato vno, tollitur & alterum. vt, Pater est, ergo & filius, præceptor non est, nec discipulus igitur. A collatis

Privantium vnum interitus est alterius: nam constituto vno interimitur alterum: & interempto altero substituitur reliquum, in subiectis capacibus. vt. Cecus est, Proinde non cernit. cernere autem nequit A privantibus.

(debito

(debito dispiciendi tempore) ergo est cæcus.

A contrariis *Contrariorũ contraria sunt consequentia.* vt, Quoniã fortitudo virtus, est: erit necessariò viciũ ignavia. *Nam quia fortitudo atq; ignavia contraria sunt: virtusq; & vitium: si vnum horum, vnius illorum consequens fuerit: & alterum alterius erit.*

Cui autem tribuitur vnum contrariorum, adimitur alterum. vt, Scipio valet, idcirco non est æger. *Et cui vnum eorum, inter quæ nihil medium interiectum est, adimitur, attribuitur reliquum: si vtriusque capax subiectum fuerit.* vt, Non ægrotat Publius, ergo est sanus.

Quod sanè in ijs, inter quæ est medium, locum non habet. Nõ enim perinde retro commeant: Prudens est, ergo non est stultus: *&*, Stultus nõ est, ergo est prudens: *eo quod tertium quid medium inter ea existit.*

A contradicentibus *Vno contradicentium dato, a[...]ovetur alterum: & remoto altero, subditur reliquum.* vt, Simia est non homo: nõ est igitur homo. *& contrà:* Simia non est homo, itaque est non homo.

24 A diversis seu disparatis *Posito & assignato vno disparatorum, tollitur reijciturq; alterum.* vt, Est leo, ergo non est asinus. *sed altero adempto, non continuo ponitur reliquum.* vt, Non est asinus, ergo est leo.

Sequitur definiendi ac dividendi ratio ex omnibus ferè locis, à quibus definitio divisioq; peti possint, exemplis demonstrata.

CAP. III.

Definitiones à locis ductæ.

A differentia — Homo est animal ratione præditum.

A proprio — Leo, quadrupes est rugibilis.

A toto — Centrum vniversi, est medium terræ punctum.

Terra est pars mundi infima.

A partibus — Domus, ædificium est, constans fundamento, parietibus & tecto.

A Coniugatis — Prudens, est vir prudentia præditus.

Ab adiacentibus — Sturnus, avis est nigra albis distincta maculis.

Ab actibus — Tyrannus est, qui vnus rerum potitur, & ius ex arbitrio suo dicit.

A subiecto — Timiditas, est impotentia cervo, damæ, lepori, ac quibusdam alijs bestijs naturalis

A materia — Cervisia, est potus ex aqua, hordeo, lupuloque confectus.

A forma — Triangulus, est figura habens tres angulos duobus rectis æquales.

Ab efficiente — Statua, est imago sculptoris manu effecta.

A fine — Rhetorica, est bene dicendi scientia. vel, dicendi accommodatè ad persuadendum.

Ab effectis — Architectus, est, qui templa, domos, ædificiaque scit extruere.

A destinato — Homo, est, ad cuius vsum omnia creantur.

A loco — Triarij, sunt milites in postremo ordine collocati.

Amyg-

[A]mygdalus, arbor est, quæ primò omnium florret. A Tempore
[V]xor, est femina nupta viro. A connexis
[C]ædes, est mors violenta, iurgium, odium, invidiam contumeliam, iniuriam plerumque sequens. Ab antecedentibus
[F]urere, est non cognoscere homines non leges, non senatum, non civitates; & violentas sibripsi manus inferre. A consequentibus
[M]eretrix est, quæ corpori ornando, ac perfruendis voluptatibus est dedita. Ab adiunctis
[I]ustitia, est virtus quæ, secundùm Ciceronem, suum cuique tribuit. A pronunciatis
[L]anx, avis est colūba minor pedibus vtrinque in binos digitos scissis A similibus
[P]aterfamilias est, qui ita præest familiæ, vt prætor civitati.
[V]irtus, est vitium fugere. A contrarijs
[O]blivio, est scientiæ amissio. A privātibus
[P]ater est, qui liberos habet. A relatis
[V]irtus, est placidis abstinuisse bonis. A differentiis

Fit quandoq; vt eadem definitio ex duobus, pluribúsve locis ducatur, sit vero ex illo nomen sumit, ex quo manifestiùs depromitur. Hęc ex quatuor locis petitur: Bubo, avis est nocturna, à boum mugitu dicta, vncvnguis, carnivora, aquilā magnitudine referens. *Licet autē multę ex his descriptiones potius quàm definitiones videantur; Rodolphus tamē Agricola omnes in definitionibus ponit: non tam, opinor, quod rei essentiā, quàm rem ipsam conversim explicant. apud quem quidem (quantū ad inventionem attinet) definitio, descriptioq; vnum atque eundem locum constituunt.*

CAP IIII.
Divisiones per locos.

AC *quoniam perfectę differentię origo ex forma est, inde ordien ur.*
Corporum, aliud animatum est, aliud inanimum. A forma
Arborum aliæ ex semine sunt, aliæ sponte nascuntur. A materia
Feritas, alia serpentis, alia aliarum est belluarum A subiecto
Animalium, aliud cicur, aliud ferum. Ab adiacentibus
Hominum alius studio, alius lucro, alius operam dat voluptati. Ab actibus
Animaliū, aliud parentis efficientia, aliud putrefactione gignitur. Ab efficientibus
Animalia, quædam fœtum, quædam ovum, quædam vermē pariunt Ab effectis
Rerum domesticarum, aliæ ad necessitatem, aliæ ad voluntatem, aliæ ad vsum pertinent. A destinatis
Opum parādarum gratia alij iustam navant operam, alij fœnerantur, alij vi rapiunt, alij fraude subducunt. A fine
Animalia hæc terra, illa verò mari degunt. A loco
Flores aut hiberni sunt, aut verni, aut æstivi, aut autumnales. A tempore
Homines, partim servi sunt, partim domini partim neutri. A connexis
Musicorum, quidam litteras sciunt, quidam ignorant. A contingentibus

Qui-

A pronunciatis. A cōparatis. A similitudine.

Quidā homines laudātur, quidā vituperātur, quidā silentio iacēt, Populares, quidam infra regem sunt opibus, quidam pares, quidā superiores.

Aliorum vitæ institutum industria formicam imitatur, aliorum segnities similis est muscarum.

Nomen vei: opposita, & dissentanea prorsus sunt à dividendi ratione aliena.

Neque vero vna divisio è multis locis peti possit, quod in definitione haud infrequens esse diximus.

CAP. V.

De locis Sophisticis.

Transitio.

QVoniam non satis est in artibus tradendis, quid amplectendum sit, præcipere; nisi etiam quid vitandum doceatur: de Sophistarum captionibus seu fallacibus conclusiunculis, quemadmodum eis occurri possit, Dialectici instituere solent.

Captio.

Captio sophistica, est fallax & vitiosa argumentandi ratio, quę ex ijs, quæ probabilia videntur, nec sunt: aliquid concludit, aut concludere videtur.

Est duplex: { *Contentiosa.* / *Fallax.* }

Contentiosa verò est, quę ex ijs progreditur, quæ probabilia videntur, nec sunt: aut ex probabilibus, vel quæ probabilia videntur, constans conclusio necessaria esse videtur, nec est. vt, Quod non amisisti habes: cornua autem non amisisti: cornua igitur habes. &, Omnis effusio est vitiosa. nulla autem avaritia est effusio: nulla igitur avaritia est Vitiosa.

Fallax autem, quæ ex proprijs alicuius artis aut scientiæ principijs, nō verè tamen intellectis, efficitur & constat. vt, Omnes lineæ ab eodem puncto ad eundem punctum ductæ sunt æquales, ergo recta & curva.

Loci Sophistici, ex quibus captiones istæ nascuntur, sunt tredecem.

In verbis, 6. {
1. *Homonymia, sive æquivocatio.*
2. *Amphibolia, seu ambiguitas.*
3. *Coniunctio distrahendorum, vel compositio.*
4. *Disiunctio coniungendorum, aut divisio.*
5. *Accentus, variusq; pronunciandi modus.*
6. *Forma orationis, figuráve dictionis.*
}

In

In rebus,7.
1. Accidens.
2. Dictum ex parte, & quodammodo; pro eo, quod omnino simpliciterq; dicitur.
3. Ignoratio reprehensionis.
4. Consequens.
5. Petitio principij.
6. Id, quod causa non est, pro causa positum.
7. Plura rogata pro vno posita: seu multiplex interrogatio.

Captio nascitur ex Homonymia, quando vnius vocis multæ sunt significationes, sive illæ nativæ sint: sive metaphoricæ. Exempla hæc sunto: Homonymia

Canis omnis latrare potest;
Sidus autem quoddam canis est:
Sidus igitur quoddam latrare potest.
Quicquid est invisum, est odiosum;
At Deus omnibus est invisus; ergo odiosus.
Omne quod ridet, habet os:
Pratum ridet; ergo habet os.
Quisquis arat littus, littus proscindit aratro:
Ast operam perdens arat littus: ergo,
Operam perdens littus proscindit aratro.
Quicquid latrat, est canis:
Aliquis homo (veluti irascens exclamando) latrat: ergo, Aliquis homo est canis.

Ex Amphibolia vero, seu ambiguitate, cum oratio in varios ac diversos sensus torqueri possit. vt, Aio te Aeacide Romanos vincere posse. Amphibolia
Vellem me capere hostes.
Quod quis videt, illud videt:
Socrates autem lapidem videt:
Lapis igitur videt.

Ex Coniunctione distrahendorum, quando à sensu disiuncto vero, proceditur ad sensum coniunctum falsum. verbi gratia: Coniunctio.
Qui sedet, stare potest:
Socrates autem sedet:
Sedens igitur stare potest
Homerus est cæcus, & Poëta: ergo,
Est cæcus Poëta.

Vt argumentatio à divisis ad coniuncta valeat, quatuor requiruntur. Primò, vt subiectum supponat pro eodem in vtraque parte antecedentis. Ex cuius defectu non sequitur.
Aliquod animal est homo.
Et aliquod animal est rationis expers: ergo,
Aliquod animal est homo rationis expers.

Secundò, vt copula distribuat pro eodem tempore, &c. in vtraque parte

parte antecedentis: ex cuius defectu non sequitur: Plato fuit puer: Plato fuit senex. ergo, fuit puer senex. *Tertio, ut comparatio fiat ad idem, &c. ex cuius defectu non sequitur:* Album dicitur de multis speciebus differentibus: utpote de homine & equo: & dicitur in quid, nempe de hoc albo: ergo dicitur de multis differentibus specie in quid. *Quarto, ut non committatur æquivocatio: ex cuius defectu non sequitur:* Socrates est bonus, & est Philosophus: ergo est bonus Philosophus: *Si in antecedente bonum accipiatur pro probo, & in consequente pro perito.*

Disiunctio. *Ex Disiunctione coniungendorum contrà; quando nimirùm à sensu coniuncto vero proceditur ad sensum disiunctum falsum. ut,*

Quinque sunt duo & tria:
Duo autem & tria sunt numerus par & impar;
Quinque igitur sunt numerus par & impar.

Quando vox aliqua inter duas alias, cum quarum utraque aptè connecti potest, æquali propinquitate collocata est: si ad præcedentem, coniunctum: si verò ad sequentem referatur, disiunctum plerumq; efficit sensum ut in his:

Quicquid vivit semper erit.
Vidi imaginem auream vestem habentem,
Feci te servum existentem liberum.

Verùm si æquali propinquitate collocata non sit, tum si ad propinquiorem referatur, sensus erit coniunctus, & magis debitus. ut in hoc exemplo:

Quicunque scit literas, nunc didicit illas.

A coniunctis ad divisa non valet consequentia, quando alterum coniunctorum solùm ex accidente dicitur de subiecto; id est, ratione adiuncti determinationis: ut in his: Non ens est opinabile: ergo non ens est. Homerus est Poëta ergo Homerus est. *cùm in sua poësi tantùm exstat, & non in se.*

Accentus. *Ex Accentu, cùm eadem vox variè pronunciata diversum habet sensum & significationem. ut,*

1. Qui leporem venatur, peragrat campos:
At foco assidens venatur lepôrem: ergo,
Foco assidens peragrat campos.
2. Omnia mâla fugienda sunt: Poma sunt mâla; ergo fugienda.
3. Omnis populus est hominum multitudo;
Quædam arbor est pôpulus; ergo
Quædam arbor est hominum multitudo.
4. Quicquid invitè fit, coactè fit.
At vinum fit in vite; ergo fit coactè.
5. Quisquis fovet æquum, iustam tuetur causam:
At hic auriga fovet equum, ergo iustam tuetur causam.

Huc pertinet ironia; ut quando quis aliquem irridens ipsum collaudat.

Egregia

Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis.

O cives cives, quærenda pecunia primùm est; virtus post nummos.

Ex Forma orationis captiones eveniunt, quando per similitudinem vocum candem rationem non habentium, fallere quis conatur. vt, Musa est fœminini generis; ergo & Poeta. Docere est agere, ergo & valere. Itemque ferire, ergo & sentire. Forma orationis.

Ex Accidente captio nascitur, quando idem similiter existimatur rei & accidenti inesse, vt quando à substantia ad accidens, vel ab accidente ad substantiam, vel à rebus ad voces, aut contrà, oratio transfertur. vt, Accidens.

Quam emisti carnem, comedisti:
Crudam autem emisti carnem.
Crudam igitur comedisti.

Animal est genus:
Homo est animal: ergo,
Homo est genus.

Vbique est adverbium:
Deus est ubique:
Deus igitur est adverbium.

Cicero est homo:
Homo autem dissyllabum est:
Cicero igitur est dissyllabum.

Mus rodit caseum:
Mus autem est syllaba: igitur
Syllaba rodit caseum.

Et quando progredimur à negatione alicuius singularis, quod vni tantùm convenire potest, ad negationem alterius, quod commune est pluribus. vt in hoc exemplo.

Quod ego sum, tu non es
Ego autem homo sum:
Tu igitur non es homo.

Argumentatio est ab individuo ad speciem negativè. Nam ex negatione rei singularis infertur negatio rei universæ; ac si quis dicat: Petrus non est Ioannes; Ioannes autem homo est; Petrus igitur non est homo.

Denique existimando quicquid convenit, vel non convenit accidenti, id rei & subiecto similiter convenire aut non convenire: seu contrà accidenti, quicquid substantiæ: ac quotiescumq; mutatur acceptio, in hāc quis captionem inducitur.

Ex eo, quod cùm sit ex parte, & quodammodo, simpliciter & omnino dicitur: quando proceditur ab eo, quod secundùm quid dicitur, ad id, quod dicitur simpliciter, affirmativè; aut contrà, negativè. vt, Dictum ex parte & quodammodo, pro eo quod omnino simpliciterque dicitur.

Cadaver est homo mortuus; ergo est homo.
Merces eijciendæ sunt in mare tempestate vrgente;

Ergo,

Ergo, Merces in mare eijcienda sunt.

Æthiops est albus dentibus albus igitur. *Et*,

AEthiops non est albus nec dentibus igitur albus est.

Non ens est opinabile : ergo non ens est.

Non est homo doctus : nec igitur homo.

Licet vxorem adulteram repudiare;

Vxorem igitur repudiare licet. *Et*,

Vxorem repudiare non licet : nec adulteram igitur.

Hoc semen est arbor in potentia ergo,

Arbor est.

Secundùm quid contingit, ratione personæ, temporis, loci, comparationis partis, &c cum determinatione alienante, diminuente, ampliante, aut restringente negata.

Ignoratio reprehensionis.

Ex Ignoratione reprehensionis; quoties omittitur aliquid eorum, quæ ad ipsius reprehensionis definitionem requiruntur: Cuiusmodi sunt; Ad idem, secundùm idem, similiter, & eodem tempore. vt,

Decem sunt duplum ad quinque, & non sunt duplum ad sex; ergo sunt duplum & non duplum.

Duo hæc ligna sunt æqualia secundùm longitudinem, & non secundùm crassitudinem : ergo sunt æqualia & non æqualia.

Ignoras eum à longè advenientem quem præsentem nosti, eundem igitur nosti, quem ignoras.

Vidi Paulum heri, & non vidi eum hodie: ergo vidi eum, & non vidi.

In quibus omnibus nulla contradictio inesse putanda est : cùm omnis contradictio sit eiusdem de eodem, non æquivocè, secundùm idem, eodem modo, loco, & tempore, &c.

Vide lib. 2. c. 6. in fine.

Ad hanc captiones omnes referri posse, dicet Aristot.

Consequens

Ex Consequenti, quando putatur consequens inferri ex antecedente, cum non infertur; vt, Flavum est, ergo mel quia mel est flavũ. Homo est animal; & equus est animal; ergo equus est homo: Si fur est, nocte vagatur: ergo Si nocte vagatur, est fur.

Qui ait te esse animal, ait verum:

At qui ait te esse equum, ait te esse animal : ergo,

Qui ait te esse equum, ait verum.

Petitio principij.

Ex Petitione principij, quando id, quod probandum est, per minus notum, aut æquè ignotum probatur. vt, Anima est immortalis, quoniam mortis expers. Omnis homo est risibilis: ergo, aliquis homo est risibilis. Socrates est pater Platonis, quia Plato est filius Socratis.

Id quod causa non est, pro causa positũ.

Ex Eo, quod cum non sit causa, pro causa ponitur. vt, Malæ sunt divitiæ, quoniam ijs abutuntur multi. Vinum malum est, quoniam ebrios efficit; itemq; aqua, quoniam ea suffocantur multi.

Multiplex interrogatio.

Ex Pluribus rogatis pro vno positis; quando vnica interrogatione plura quæruntur: quibus vna & simplex responsio adhiberi nequit. Duobus modi

modis contingit: vel plura quærendo de uno. ut, Sitne homo animal rationis particeps immortale, & disciplinæ capax? Vel de pluribus unum. ut, Suntne homo & equus, animalia ratione prædita?

CAP. VI.

Quid Sophistæ propositum; & quo pacto Captiones omnes diluantur.

Sophistis in disputando quinque sunt proposita.

1. Coarguere eos, quibuscum disputant.

2. Falsum aliquid ostendere.

3. Ad aliquid, quod hominum menti repugnant compellere.

4. Ad soloecismum impellere.

5 Denique efficere, ut nugetur is, quicum disputant.

Atqui ut sine incommodo omnibus hisce fallacibus conclusiunculis occurratur, caute ac diligenter spectanda sunt earum materia atque forma. Omnem quippe argumentatio fallax in alterutro horum peccet, necesse est. Quomodo diluantur omnes captiones.

Materia verba complectitur, & res ipsas: in qua cum inerit vitium, dissolvetur argumentum, vel inficiando seu negando, vel distinguendo. Inficiando vero diluimus, cum duorum syllogismi pronunciatorum antecedentium alterum negamus esse verum, vitiumque prodimus. Distinguendo autem, cum termini sunt ambigui.

Forma argumentationis reprehenditur, cum ex antecedentibus aliquid effici negamus, aliterque conclusum esse ostendimus, quam vel figura, vel modus ferat.

Si in utroque forte, materia pariter & forma, vitium fuerit: consequutio inficianda, aut antecedens distinguendum erit.

Omne multiplex magnam parit confusionem, nisi distinguatur: tot enim in syllogismo terminos constituit, quot significationes habet: quot autem terminos constituit, tot propositiones efficit.

CAP. VII.

De Disputatione, & officio ac munere disputantium.

Parum est in artibus addiscendis præcepta gustasse, nisi usus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superat, adiungatur. Quapropter exercendi via, ratio disputandi inventa est: quæ cum ad præceptiones ipsas plenius intelligendas, firmiusque memoriæ retinendas; tum ad illam, qua nihil in tota re literaria maius, de quaque re proposita in utramque partem probabiliter disserendi promptam & expeditam facultatem nobis comparandam plurimum adiuti sumus.

Est autem disputatio, aliquorum de re controversa pugna argumentosa: aut veritatis indagandæ, aut ingenii exercendi, aut tentandi studio instituta.

Ex quo manifestum est, in omni disputatione duos esse oportere: unum, qui opponat, alterum, qui respondeat: illum oppugnatorem, hunc propugnatorem ac defensorem appellare solemus. Atq; illi quidem inventione præcipuè, huic verò iudicio magis est opus.

Officium oppugnantis.

Et oppugnantis quidem in disputando partes sunt,

1. *Excogitare argumẽta, quibus quasi telis in adversariũ coniectis ipsum obruendo, absurdissima quæq; cogat concedere.*
2. *Confirmare, quæ ab illo negantur, contrariũ proposito semper concludendo.*
3. *Solutionem ab eo datam, primũ repetere, deinde subvertere, novo semper ad id medio è locorũ thesauro deprompto, donec voti compos extiterit.*

Quod, quo melius atq; facilius efficiat, cum qualitatem, tum quantitatem propositionis quam probandam suscipit, in primis spectare debet. Nam cum pronunciatum sit aiens, utendum est aliquo modo affirmativo, quo prædicatum cum subiecto cohærere doceatur: sin verò negans, modo aliquo negativo, quo prædicatum à subiecto removeri censeatur. Si universale sit, quod probatum iri cupit, universali modo ad hoc inferendum convenienti est utendum: sin autem particulare, utendum erit aliquo modo particulari. Nihil enim firmè statuitur, nisi quod in conclusione per præmissas infertur. Ac modus quidẽ aiens, vel negans, generalis, vel specialis censendus est, cuius conclusio est talis. Unde utilissimum fore necesse est, figuras, & modos memoriæ septos in promptu semper habere.

Inventio medij quatuor ex regulis comparanda.

Caput autem in toto hoc oppugnandi negotio ipsa est inventio medij, quatuor ex regulis comparanda. Quarum,

1. *Prima est: ad concludendum universalem affirmantem propositionem, medium, subiecti quidem consequens, antecedens autem prædicati sumendum erit. quæ regula in prima figura locum habet.*

2. *Secunda vero, ad concludendum particularem affirmantem, antecedens utriusq; sumendum est. atq; hæc regula in tertia figura potissimum est intelligenda.*

3. *Tertia autem, ad concludendum universalem negantem, sumetur quod subiecti quidem consequens est, seu à prædicato alienum: vel contra, quod prædicati quidem consequens est, verum à subiecto remotum, quæ regula in duobus modis prioribus secundæ figuræ vera est.*

4. *Quarta deniq; ad concludendum particularem negantem, sumendum est antecedens subiecti, & alienum à prædicato, quæ regula in tertia figura valere videtur.*

Consequens.

In his regulis consequens dicitur id, quod ex aliquo infertur necessariò. ut, ex specie genus, ex individuo species: Nam si Petrus est, homo est: & si homo est, animal est.

Antecedens.

Antecedens verò dicitur id, ex quo aliud infertur: ut species est antecedens generis: & omne inferius sui superioris.

Alienum.

At vero alienum, sive repugnans, atq; remotum dicitur: quod rei convenire

venire

venire nequit. Antecedentia autem & consequentia, ac repugnantia ex prædicamentorum ordinibus, locisq; Dialecticis facilè intelliguntur. His autem diligenter observatis, quodcunque pronunciatum in disceptationem, quæstionemque vocatum, quàm minimo negotio concludamus. Atq; de oppugnantis quidem officio satis dictum arbitror.

Qui vero respondendi munere fungitur, ut graviter ac præclarè decreta sua defendat, nec ullo incommodo afficiatur: totum thematis ad disputandum propositi naturam probè perspectam habeat: difficultates eius omnes priusquam in arenam descendat, diligenter excutiat, quidq; in illis tuendum sit, statuat: semper consideret, quid defendendum suscipiat: & an argumentatio ab adversario contrà allata ad suam assertionem labefactandum valeat: quo ex genere locorum ducatur, & quam ad dispositionem pertineat: an rectè effecta sit ex iis, quæ sumpta sunt conclusio. Postremo, bis, terve argumentationem iisdem verbis, eodemq;, quo à contrà disputante proponitur, ordine, clara atque aperta voce, nihil addendo, adimendóve repetat. Eo planè cōsilio, ut temporis spacio ad cogitandū sumpto, singulis eius partibus, earumq; connexione penitus perspectis, & exploratis: maturo tandem iudicio usus, & præcipitis festinationis comitem, errorem vitet, & prudentem adhibeat responsionem. Officium propugnātis.

Concedendo vera.		Propositionem.
Negando falsa.	Videlicet,	Assumptionem.
Ambigua & multiplicia		Antecedens.
distinguendo.		Consequutionem.

Conclusio verò nunquam neganda est: quoniam ex veris præmissis, rectéq; constitutis, non potest sequi falsa conclusio.

Non licet respondenti repetita semel ratiocinatione, continuò ad ipsā solutionem, ac si respōdendi munere gravaretur aut laqueos timeret, festinare. Non enim satis est verum respondere, nisi etiam apte & apposite. Quocirca, aut omnia pariter concedere, aut antecedens, vel sequelam, seu consequentiam, sive consequutionem (consequens quippe, ut diximus inficiari nemo solet, nec debet) negare, vel distinguere oportet. Si vitium est in materia, falsi quidpiam continet antecedens, ac propterea negandum. Si in forma peccetur, nec debita argumentandi ratio servetur; cōsequutio nō valet, ideoq; inficianda. Si neutra errore vacet, sed & antecedens à veritate & consequutio à legitima argumentandi forma deflectat: utrumvis inficiari licet.

CAP. VIII.
Leges in disputando observandæ.

1. PRima, in omni disputatione quid in controversiam quæstionemq; vocetur, ante omnia diligenter considerandum, ac statuendum esse: ne inani altercatione, amissa veritate, multa ultrò citróq; verba ridiculè fusa videantur.

2. *Secunda, multa pariter turbato ordine non inculcanda.*

3. *Tertia, voces ambiguas aut plane vitandas, aut saltem distinguendas esse. Nam errorum mater fuit æquivocatio semper.*

4. *Quarta, nec quod manifeste verum est, temere oppugnandum: nec quod aperte falsum, pertinaciter defendendum. Satius est enim errore lapsum, palinodiam, vel subsurp, culam, quàm primùm (quod aiunt) canere: quàm falsum nimis præfracte & impudenter cum irrisione auditorium defendendo, ex uno in alios permultos graviores, impioresque prolabi errores: uno quippe absurdo admisso, multa incommoda consequuntur. Nemo itaq, verum temere labefactando, aut falsum mordicus defendendo, ingeniosus, aut doctus videri studeat.*

5. *Quinta, nequaquam fas esse, ut vicissim alter alterius partes agat, sed suum uterq, exequatur negotium: pro viribusq, nitatur: ut quantum ad illum attinet, auditoribus satisfecisse laudemq meruisse videatur.*

6. *Sexta, absit procul rixandi desiderium, facessant maledicta, convitia, iurgia, contumeliæ; diviique iracunda contentiones, concertationesq omnes: quæ ingenium perturbant, aciem mentis præstringunt, omne rationis penè lumen extinguunt. Omittatur nimia loquacitas; nullum est enim certius inscitiæ argumentum inani profluentia loquendi: doctos decet modestia, & morum candor ingenuos.*


PERORATIO.

Quoniam igitur vitiosæ, & iniquæ disputationes cum quibusdam, qui se difficiles ac protervos in disputando præbere solent, futuræ sunt: haud temerè cum quibusvis exercitationis causa confidendum est. nec cum quovis disputationes instituere, nec quemlibet in societatem exercitationis recipere debemus: ne plus fortassis ex illorū congressu, colloquioq, mali, quàm boni consequuti esse videamur. Reliqua frequenti usu, & crebra exercitatione melius quàm ullis præceptionibus addiscuntur.

Hæc igitur de disputatione, & utriusque, oppugnantis pariter ac propugnantis munere atque officio dicta sint hactenus.

Atque hic est huius Instituti modus.

Laus Deo.



quen-

nec
s lap-
nere:
ssium
bi er-
. Ne-
do, in-

agat,
ipsum
r.
onsid-
onesq;
ratio-
enim
ismo-

sdem,
sunt:
. nec
exerci-
quioq;
& cre-

ac pro